



CENTIFOLIUM
CAMALDULENSE,

SIVE NOTITIA

SCRIPTORUM CAMALDULENSIUM;

QUAM CEU PRODROMUM EXCEPTURA EST

BIBLIOTHECA

PATRUM CAMALDULENSIUM

SEU OPERUM

AD HISTORIAM, DISCIPLINAM, ET ASCESIN

SAC. ORD. CAMALD. ATTINENTIUM

COLLECTIO

TOMIS VI. COMPREHENSA.

Cujus Bibliothecæ, seu Collectionis accurandæ hic ad calcem prævius exhibetur

CONSPECTUS

AUCTORE

P. MAGNOALDO ZIEGELBAUR

ORDINIS S. BENEDICTI, SOCIETATIS LITERARIÆ Incognitorum in Terris Austriacis Secretarii.



VENETIIS, MDCCL.

EX TYPOGRAPHIA

JO: BAPTISTÆ ALBRIZZI HIERONYMI FILII.



VIRO. ILLVSTRI.

JOS. L. B. A. PETRIS

FLOR. APAT. AC. HETR.

ACADD. SOCIO

INSTITVTORI. AC. PRAESIDI

SOCIET. INCOGNITORVM

CVI. RES. LITERARIA. IN. TERRIS. AVSTRIACIS

PROVEHENDA. CVRAE. AC. CORDI. EST

HOC. CAMALDVLENSE. CENTIFOLIVM

CEV. SVAS. VT. SOCII. ADSCRIPTI. PRIMITIAS

D. · D. D.

MAGNOALDVS. ZIEGELBAVR

BENEDICTINVS

Ad eruditum , candidum , & benevolum

LECTOREM.

NEmo rerum prudens, nisi communi sensu qui eareat, nou intelligit, operam a nobis esse dandam, ut priusquam Collectionem Scriptorum Camaldulensium adornare instituamus, eorum quantam possumus maxime accuratam præmittamus notitiam. Qui enim fieri alias potest, ut eorum Scripta & Opera unum in corpus congesta conjunctim in lucem edamus, quorum nullam vel exiguam habemus cognitionem? Ordo, rerum anima, postulat, ut *Bibliothecam Patrum Camaldulensium* præcedat *Notitia Scriptorum Camaldulensium*. Ex hac discimus, qui potissimum Camaldulenses in calamum incubuerint, quos eruditos suo ex ingenio fœtus ediderint, quæ Auctorum Opera in alium converterint sermonem, quas chartas, codicesque manu exaratos indefessa transcripserint diligentia, quosque demum alios literatos subjerint labores. Neque vero multum negotii nobis facessit, quod eorum, qui id præstiterunt, quædam sint chiliades, sed potior est difficultas, quod illorum plerique parum in vulgus sint noti, ac magnam potius partem incogniti, certe quidem extra Italiam, habeantur. Cujus rei causam, ut Lector nou nesciat, eam non ego, sed vir dicat magnæ auctoritatis, *Joannes Castagniza*, Philippi II. Regis Hispaniarum Ecclesiastes, Theologus, & Asceta, in cujus concionibus ac libris, maxime in Vita S. P. Romualdi, quam anno MDLXXXV. typis vulgavit, summa prudentia & pietas cum eximia Asceseos peritia, doctrina, & eloquentia enituerunt. Is igitur Benedictinus Hagiographus cap. XXVII. laudatæ vitæ de Camaldulensium Scriptorum paucitate rationem affert, quam nemo nisi imprudens verso pollice rejiciat: *Non magno*, inquit, *sunt numero, qui libros conscripsere; quia ad Ascetas Camaldulenses, præcipue Eremitas, magis attinet, meditari die ac nocte in lege Domini, quam calamo occupari, nec tam habere curæ, fungi officio magistri, quam esse Spiritus Sancti discipulos; quemadmodum qui in primitiva vixerunt ecclesia, facere soliti erant; quo factum, ut non plures atque quindecim Ecclesiasticos numerent Scriptores*. Hæc Castagniza; a cujus tempore per sesqui sæculum, & quod excurrit, auctus quidem fuit Scriptorum numerus, sed non ea copia & multitudine ut ingens sit ac decumanus. Cum igitur Camaldulenses longe alium sibi præstitutum habeant finem, quam ut literarum studiis ac libris scribendis vacent, nulla est causa, ut magnam Scriptorum segetem ex eorum colligendam agro exspectemus.

Erumpat ex me vera; simplex, candida, sed, ut spero, non imprudens vox. Dico itaque: Camaldulenses Eremitas, si velint, non posse, & si possint, non velle, magnam librorum vim elucubrare. Cujus mei effati hanc reddo rationem. Quatuor fere præcipua sunt capita, quibus omne Institutum Camaldulense continetur. Solitudo cum recessu & silentio; labor, qui manu exercetur; jejunium, corporisque, castigatio; psalmodia, preces, rerumque divinarum contemplatio. Jam vero quis nescit, lucubrationes librorum Musei esse, non Eremi, ubi nulla selecta bibliotheca, nulla eruditorum hominum colloquia, nullus literarum ludus, e quo scribendi artes præsidiaque petantur? Petrus Delphinus, summæ gravitatis, prudentiæ, morumque sanctimoniæ Præpositus Generalis, per quadraginta quinque annos, quibus Ordini præfuit, numquam permisit, ut in Eremo quisquam sub præceptore erudiretur. (a) *Si quis interim se recepisset in eremum, quod adeptus antea doctrinam aliquam fuisset, ut ageret Deo gratias pro talenta, adhortabatur, sin autem imperitus & indoctus accessisset, ut studeret vitæ eremiticæ conformari, ex officia admonebat*.

Erant Eremitæ igitur alii literarum rudes, alii earum periti, quas in sæculo ante religionis ingressum didicerant. Ab illis libros & scripta expetere, quid aliud fuisset, quam ab agro in quo nullam fecisti sementem exigere messem? Ab his vero plerumque etiam nihil Scriptionis exspectandum erat; cum enim in solitudinem se abdidissent,

(a) Ep. 53. lib. 12.

ſent, ut hominum frequentiam, atque adeo notitiam effugerent, poſtremæ iis curæ erat, ut opera, quibus clari & magni in literis haberentur, elucubrarent, quin imo pro animi ſui demiſſione ac modeſtia, ut humanas evitarent laudes, nihil ſcriptis conſignare voluerunt, quod memoriam ipſorum omnium ſæculorum poſteritati commendare, atque ab oblivione vindicare poſſet. Literarum ſtudiis laborem manuum, Monaſticæ ac Eremiticæ vitæ proprium, præferebant, tempuſque omne, a præſcripta oratione & pſalmodia vacuum laborando conterebant, non ignari, nihil ad continendas cogitationes, mentiſque evagationes impediendas, magis idoneum eſſe, atque nullo non tempore occupatas habere manus: qua via ad cordis tendebant mundiciem ac puritatem, cujus merces futura erat Dei viſio immortalis. Fecerunt hoc edocti exemplo S. P. Romualdi, ejuſque primorum diſcipulorum, qui in deſertis ac eremis, ut in ſudore vultus ſuo veſcerentur pane, fila ducebant, vimina texebant, ſarculo terram ſubigebant, aliiſque manuum operibus intendebant. Qua ratione nihil propemodum temporis ad ſcribendum ipſis relictum fuerat. A quo præterea aſſidua fere jejunia, ingens ciborum parſimonia, & auſterum vitæ inſtitutum illos avocabant; ut enim, quod veteri fertur parœmia, plenus venter non ſtudet libenter, ita etiam inanis jejunio ventriculus graves ſcribendi labores non fert libenter. Naturales hominis facultates, ut ſcriptionis munere facilius ac promptius defungantur, melioribus cibis & alimentis recreandæ ſunt; at ab his Camaldulenſes, præcipue Eremitæ, ſecundum illud, quod profitentur, auſterum vitæ genus, ſe abſtinent, continentque. Quid jam de Oratione, rerum divinarum contemplatione, atque ſacra dicam pſalmodia, quæ tanta, tamque prolixa eſt, ut omne propemodum tempus ad ſcribendum ſurripiat. Et miretur quis, Camaldulenſes Eremitæ & numero Auctorum, & librorum editorum multitudine cœteris Familiis Religioſis multo eſſe inferiores, iis præſertim, quæ illuſtres ut plurimum inhabitant urbes, ludos juventuti aperiunt, librorum omnis generis habent copiam, doctorum hominum fruuntur congreſſibus, lautiore victu, quem literarum poſtulant ſtudia, nutriuntur, nullo manuum labore, nulliſque in choro decantandis divinis laudibus occupantur? Enimvero cum iis tum eruditionis copiam, tum doctrinæ præſtantiam, tum libros quam plurimos lucubrandi laudem conceſſerint, & in re literaria ab illis æquo animo ſe vinci patiantur: attamen diſciplinæ Monaſtico-Eremiticæ quaſi poſſeſſionem retinent, neque alio nomine elatius ſe efferunt, quam quod vivendi genere, quod ab ipſis ducitur, ad illud proxime accedunt, quod veteres Ægypti Patres, Antonius, Pachomius, aliique Monachi & Eremitæ in deſertis tenuerunt, quoque in Eccleſia nihil unquam fuit religioſius, ſanctius, magiſque perfectum. Jamne intelligis, erudite, candide, ac benevole Lector, a vero non deflectere, poſſint, quod a me dictum fuit: Eremitæ Camaldulenſes non poſſe, ſi velint, non velle, ſi magnam librorum vim elucubrare, atque, quod conſequitur, Scriptores prævaſto habere numero.

At, ſi ita eſt, inquis, qua igitur ratione non penitus nulli ſcribendi munus aggreſſi fuerunt? facilis reſponſio. Alii id fecerunt cœlitus commoniti, ut ſanctus ipſe Ordinis Fundator, qui raptus in extaſin divina voce, ut Pſalmos Regii vatis exponeret, ſibi provinciam imponi audivit, ad quam etiam nulla mora ſe accinxit. Alii, quod laborem manuum fere non poſſent, ad ſcriptionem animum adjunxerunt. *Noverit Sanctitas veſtra*, inquit B. Petrus Damianus in epiſtola ex Eremo Fontis Avellani data ad Theodoſium Senogallenſem, & Rodulphum Eugubinum Epiſcopos data, *noverit Sanctitas veſtra; quia præſumpſi quædam Opuſcula ſcribere, non tam videlicet, ut legibus eccleſiaſticis, quod temerarium fuerat, aliquid adderem, quam ob hoc præcipue, quia ſine quolibet exercitio inertis otii, & remotioris cellulæ tædia non perferrem: ut qui operibus manuum utiliter inſudare non poteram, cor vagum atque laſcivum quodam meditationis loro reſtringerem, ſicque cogitationum ingruentium ſtrepitum atque acediæ obrepentis inſtantiam facilius propulſarem*. Alii quod ſibi eſſet utile, ac prodeſſet aliis Superiorum cohortatu & approbatione ſcriptis tradiderunt. Sic cum *Petrus Candidus de Porticu* Quæſtiones ſuper Hieronymi epiſtolas edidiſſet, Petrus Delphinus, Ordinis Generalis ſapientiſſimus literas ad eum dedit, in quibus inter cætera, *placuit*, inquit, *mihi ſtudium tuum in ſacris voluminibus, probavique admodum lucubrationes monacho dignas. Natus tibi ſolus non es, & ideo multis prodeſſe conaris, ut erudiens multos ad juſtitiam, fulgeas ſicut ſtellæ in firmamento*. Quæ, aliæque cauſæ ſatis juſtæ ſunt, propter quas qui Camaldulenſes

Mo-

Monachi ac Eremitæ scribendi munus occuparunt, nullo modo in reprehensionem sunt vocandi.

Etsi vero Camaldulensium Scriptorum non ea sit copia & multitudo, quæ in digitos mitti non possit, vereor tamen, ne non complures habeantur, quorum nomina meam effugiant notitiam. Cum enim Ordo Camaldulensis intra Italiæ fines potissimum se contineat; in aliis vero regnis ac provinciis, ut in Gallia, Pedemontio, Germania, Hungaria & Polonia non admodum multas, nec a longo tempore habeat eremos, qui scripserunt, majorem partem, si perpaucos excipias, gente Itali fuerunt. Horum libros Italice scriptos cum in Germania oculis usurpare raro liceat, eorum etiam Scriptores nec auditione, nec fama habentur noti. Equidem pro mea virili parte singulorum consulere memoriæ, laudi ac gloriæ velificari, ac commeritis prosequi encomiis non prætermisi, quin tamen non complurium merito defuerint, affirmare nec quidquam ausim. Non parum sæpe, vel hujus vel illius Scriptoris natale solum, patentes, literarum studia, quibus in sæculo institutus fuit, monasterium vel eremus, in quibus sacram emisit professionem, dignitates, quas in Ordine consequutus est, annus & dies mortualis, quo e vivis exemptus fuit, meam præterierunt cognitionem. Quæ quidem ut non ignorarem, eorumque notitiam tecum, Lector benevole, communicarem, nulli peperci operæ, sed irrito ac frustraneo in non paucis conatu. Quare ut hanc in enarrandis singulorum Scriptorum vitis elogiisque brevitatem, & parsimoniam nulli mihi vertatur vitio, ea qua par est humanitate te rogatum volo. Sed nec illud te celandum puto, fuisse a me quorundam Scriptorum nomina huic Bibliothecæ inserta, de quibus alii Familiæ Camaldulensi fors litem moturi sunt, quam hic dirimere mearum esse partium non opinor; ut qui Syllabum Scriptorum Camaldulensium numero potius auctum, quam imminutum dare malim.

Equidem hoc labore penitus supersedere potuissem vel etiam voluissem, si prius ad scribendum quam me conferrem, cognitum habuissem, *Petrum Canneum* Abbatem Camaldulensem, ingenio indicloque excultissimum, hanc provinciam, exeunte sæculo superiore, jam occupasse, atque Scriptorum Ordinis sui laudes, quos eruditione ac doctrina eminuisse ipsi constabat, literarum monumentis consignasse. Sed cum hanc notitiam ex *Francisci Arisii Cremona Literata* eo primum tempore comparassem, quo hanc Bibliothecam jam fere ad fastigium perduxeram, extremam eidem manum non addere nolebam. Quæ Bibliotheca quoquomodo scripta, hoc saltem commodi habitura est, quod doctissimis S. Michaelis Muriani Cœnobitis, penes quos Venetiis est Abbatis *Canneti* Bibliothecæ exemplum, animos, ne dicam stimulos, addere queat, quo in primis deinceps curis habeant, ne aliquo in angulo pulvere situque diutius marcescat, aut ad blattarum, muriumque pastum indignum in modum reservetur, sed in eruditorum manus ad Sacri Ordinis gloriam & existimationem pervenire primo quoque tempore permittatur. Enim vero, ut V. C. *Angelus Calogierà* Monasterii S. Michaelis Muriani Alumnus epistola die 10. Febr. an. 1747. scripta certiorem me reddidit, nihil ipsius Sodales, viri literatissimi, curæ magis habent, quam ut *Canneti* Bibliothecam ad limam revocent, locupletiorem reddant, atque ad fastigium perducant. Quod ubi factum erit, eandem in publicum quamprimum exire jubebunt. Quæ igitur Abbatis *Canneti* Bibliotheca, multo majori elegantia atque eruditione accurata, usque dum in orbe compareat literario, hac nostra quali demumcumque notitia ut tibi, Lector Benevole, frui liceat, eam typis excusam hic exhibemus. Vale, ac fruere.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione ed Approvazione del P. F. *Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitor General del Santo Offizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Centifolium Camaldulense, sive Notitia Scriptorum Camaldulensium &c. &c. MS. sciolto in varj fogli*, non essere cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi e buoni costumi: concediamo Licenza a *Giambatista Albrizzi q. Girolamo Stampator di Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 16. Maggio 1749.

(Barbon Morosini Cav. Proc. Rif.
(Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 5. al Num. 41.

Michiel Angelo Marino Segr.

31. Maggio 1749.
Registrato nel Magistrato Eccell. alla Bestemia.

Lauro Bartolini Segr.

I.

ABUNDIUS COLLINA.

Abundius Collina Bononiensis Monasticen professus est in Monasterio Classis Ravennæ, Petro Canneto Abbate. Expleto studiorum curriculo Pisas se contulit, ubi sub Guidone Grandio viro clarissimo Mathæsi operam dedit, ibique moratus usquequo in Patriam vocatus Professor Pubblicus rei Nauticæ in Instituto Scientiarum factus, Cathedram, quam ei frater fundavit, primus conscendit. In Actis Academiæ Bononiensis habetur ejus *Dissertatio de Acu Nautica* quam cum celeberrimus vir Joannes Chrysostomus Trombelli Abbas S. Salvatoris aliquo modo oppugnaverit, propriam defensionem integro libro eruditissimo Professor noster suscepit cujus libri titulus est.

Considerazioni Istoriche di Don Abondio Collina sopra l'origine della Bussola Nautica responsive alla Dissertazione stampata sopra lo stesso argomento dal P. Abate D. Gio: Crisostomo Trombelli. In Faenza 1748. *presso l'Archi in* 4.

Laudatur Collina in Ephæmerid. Litt. Venetis, & Florentinis. Poesis cultor etiam cujus non pauca eaque elegantia Italica Carmina in variis Collectionibus leguntur. Vivit adhuc vir clarissimus ad Patriæ, Congregationisque suæ ornamentum.

II.

ALOYSIUS MASSÆUS.

Aloysius Massæus nobilis Lucensis vanitatibus Mundi renuntians Eremiticam vitam professus est in sacra Eremo Camaldulensi anno ætatis suæ vigesimo quinto, æræ vero Christianæ 1645. Vitam duxit virtutibus omnibus celebrem, eamque sancto fine clausit anno 1679. die 28. Augusti. Ejus vitam primo descripsit Joseph Manuccius, & Florentiæ edidit anno 1689., Typis Petri Martini; secundo curis diligentioribus vir pietate non minus quam eruditione præclarus Benedictus Falconcinius Episcopus Aretinus, quam Florentiæ vulgavit Michael Nestenus Typographus anno 1718. Scripsit Aloysius

I. *Epistolas* valde pias, quarum aliquot in lucem edidit Josephus Manuccius, & Benedictus Falconcinius, eaque, autographa asservantur in Bibliotheca Fontis Boni, apographa in S. Michaelis Muriani.

II. *Sermones*, quorum aliquot suavi sacra unctione referti edidit Falconcinus in ejus vita. Autographa servantur in Bibliotheca Fontis Boni.

III. *Tractatus in Præcepta Decalogi* MSS. in eadem Bibliotheca.

De eo meminit Jo. Paulus Oliva Soc. Jesu Generalis in Epistolis.

III.

AMBROSIUS TRAVERSARIUS.

Ambrosius Traversarius Camaldulensium Generalis Antistes is est, quem, sive vitæ sanctimoniam, seu doctrinæ præstantism, sive rerum usum atque in gravissimis Ecclesiæ negotiis tractandis prudentiam spectemus, omnium sæculorum posteritas admirabitur. Ortus est sub anno reparatæ salutis millesimo trecentesimo septuagesimo sexto in Romandiolæ oppido, cui Porticus nomen, quodque haud procul a Florentia remotum est. Parentes fuerunt, pii & prænobiles, utpote ex Traversaria nobilissima gente, sed tenuis magis, quam opimæ fortunæ. A teneris annis in Cœnobio Florentino S. Mariæ de Angelis a Patribus Camaldulensibus literis cum Græcis tum Latinis institutus fuit. Ad eloquentiam comparandam usus est præceptore Joanne Ravennate, Oratorum sui ævi facile principe, cui unice charus fuit ob præclaras ingenii atque animi dotes. Ut Græcis literis, quarum erat cupidissimus, melius obsequeretur, Venetias demigravit, qua in urbe Emmanuel Chrysoloras Byzantinus Græcarum institutionum ludum aperuerat. Neque tamen multum abiit temporis, quo Venetiis commoratus est. Accersito enim Florentiam Emmanuele, magistri legit vestigia. Redditus Florentiæ ad Camaldulense se recepit Monasterium, in quo ætatis anno vigesimo quarto vitæ religiosæ tyrocinium posuit. Nuncupatis postea sacris votis, monasterii scholis præfectus fuit, quarum limina nobilis juventus magna trivit frequentia. Crevit earum celebritas, quod Ambrosius pulcherrimum iniisset consilium, de veterum optimi commatis quorumque auctorum libris e squallore & situ pubblicam in lucem asserendis. Qui conatus cum Cosmo de Medicis majorem in modum probaretur, sumptus fere incredibiles suppeditavit, quibus selectissima bibliotheca comparatis undique ingenti ære scriptoribus adornari posset. Quam ob rem Ambrosius optimo jure bonarum literarum

instauratoribus annumeratur. Quæ vero Opera hoc maxime studio antiquitatis excitatus proprio marte elucubrarit, quæque aliorum scripta ex Græco in Latinum per ipsos triginta annos converterit sermonem, postea dicturi sumus. Studiorum atque lucubrationum amore ita incensus erat, ut eum triginta annorum labores non modo non extinxerint, sed potius inflammarint; a quibus non antea abjunxit, quam Ordinis sui Generalis Præpositus, invitus licet, renunciatus fuisset die 26. Octobris anno millesimo quadringentesimo trigesimo primo. Tum vero non modo res Ordinis sui, haud parum conturbatæ componendæ erant, sed summa etiam Ecclesiæ negotia, quibus adhibitus fuit, pertractanda. Sive vero ad Concilia, seu ad Orientis & Occidentis Imperatores Nuntius Apostolicus mitteretur, eximia ubique religionis, doctrinæ, & prudentiæ patefecit indicia. Basileæ Julianum Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum ab Eugenio IV. Pont. Max. supra quam dici potest alienum ad ejus denuo partes adjunxit. Ex qua orbe post infinitos labores tandem profectus jussu Eugenii in Hungariam ad Sigismundum Imperatorem, haud difficulter ejus animum expugnavit, ut Concilium Basilea Ferrariam transferri non renueret. Ferrariæ vero & Florentiæ quidquid ad Græcos in Catholicæ Ecclesiæ gremium reducendos feliciter gestum est, & quidquid salubriter constitutum, id uni fere Ambrosio, summæ prudentiæ ac doctrinæ Theologo, in acceptis debet referri. Qua re factum, ut non modo Latinorum studia, sed Græcorum etiam animos unice sibi conciliarit. Translato denique Florentiam Concilio, Græcisque cum Ecclesia Romana unitis, Ambrosius Concilii Actis inter omnes Abbates primus subscripsit; nec immerito, utpote cujus potissimum opera Græci Romanæ Ecclesiæ placitis acquieverunt. Nemo erat sive Latinorum seu Græcorum Patrum, qui talem tantumque virum in purpura & ostro quamprimum conspicere non ex animo optaret. Et vero Eugenius IV. eum amplissimo Cardinalium collegio propediem adlecturus erat, nisi epidemia Florentiæ exorta e vivis 12. Kal. Nov. anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo nono sublatus fuisset. Cujus morte intellecta, omnium vox erat, eum plus ad purpureum galerum splendoris allaturum, quam ab eo acceptorum fuisse. Qui vero noviores Scriptores cum Michaele Poccianto, Possevino, Bellarmino, & Labbeo ejus obitum ad annum millesimum quadringentesimum nonagesimum producunt, manifesti tenentur erroris. Quemadmodum etiam longe a vero abest, quod Possevinus ait, eum in Germania Constantiæ diem suum obiisse. Sepulchro illatus est in Sacræ Eremi Camaldulensis Ecclesia, sine lapide sepulchrali & titulo, ut conqueritur Mabillonius in itinere suo Italico; (a) *Subit indignatio*, inquiens, *ut cum Plinio Juniore loquamur, tanti viri post tot annos reliquias, neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagata est. Sed potior Ambrosii apud Deum gloria est, ac memoria.* Aliquod tamen ejus Epitaphium refertur a Sylvestro Marulo *Opere di tutte le Religioni* Messanæ typis vulgato an. MDCXIII. pag. 106. Verum post editum Mabillonii Iter Italicum prolixam Inscriptionem Ambrosio Eremitæ erexerunt in Camaldulensi Basilica; quam inscriptionem in lucem edidit Cl. V. Angelus Calogierà in amplis Additamentis *Bibliothecæ Volantis* edit. Venetæ ad vocem *Cardulo*.

SCRIPTA

Alia sunt, quæ partim propria industria composuit, alia quæ partim e Græco Latinitate donavit. Ad primam classem pertinent

Origines Civium Florentinorum, quas ex antiqui ævi monimentis eruit, magna eruditione illustravit, summoque nuncupavit magistratui, a quo gratissimo exceptæ animo, publicis adjectæ fuerunt monumentis, ut qui posteri noscendi illustres Reipublicæ suæ viros justa flagrarent cupiditate, Opus, quod consulerent, in promptu haberent. Vid. Ang. Flor. Hist. Camald. lib. 3.

Unionis Formula inter Ecclesias Græcam & Romanam seu *Definitio Synodi Florentinæ*. Extat Græc. Lat. Concil. edit. Labb. tom. 18. post Sess. 25. p. 522. & iterum col. 1181. Magnus Ambrosii honor, magnaque de ejus sapientia Oecumenici Concilii existimatio, a quo ei partes tanti conficiendi negotii delatæ fuerunt. Henricus VVarthonus in Appendice ad Historiam Literariam Guilielmi Cave pag. 23. cum narrasset, spectatæ Ambrosii in Concilio Florentino eruditioni datum fuisse, ut pacta inter Græcos & Latinos concordia Unionis ineundæ for-

(a) lib. 4. ep. 70.

formulam componeret, eidem fibulam contumeliis pleuam, uon quidem fuis, fed Sylveftri Syuropuli verbis affingit: *Vir veteratorius, & callidus, infignis fanctitatis fimulator, nec linguæ nec difciplinarum Græcarum penitus ignarus, & Papæ fideliffimus*. Itane vero VVarthune, Calvini affecla, verba Syuropuli, cui hæc Unio fudes in oculis erat, tua facis? Tamtumne auctoritatis, tantumne fidei in eo reponis? Sed noftin, quid hominis fuerit? Si temporum teftem (a) hiftoriam, fi coætaneos, pofterioresque fcriptores interroges, homo nihili, ignotus, ignobilis, qui unus fibi teftimonium dixit, illudque mendaciffimum, neglectus hactenus ab eruditis, fchifmaticus, hæreticus, ac nationis fuæ, quæ catholicam fidem cum Imperatore, Patriarcha, Epifcopis, ac Principibus, doctiffimifque viris fufceperat, hoftis infenfiffimus illico deprehendetur. Neque alia ejufdem debet effe apud cordatos homines ratio; quam e. g. Hieronymi Pragenfis in Patres Concilii Conftantienfis convitia effutientis. Quis enim ignorare poteft, quid in judices, quid in adverfarios, quid in ipfos quoque interdum patronos advocatofque fuos deblaterent, quæ crimina objiciant, quas calumnias texant, qui caufa ceciderunt rei? Tales plerique Græculi, qui Marco Ephefino Autifiti ac fimilis farinæ coutumacibus fchifmaticis, quam apertiffimæ veritati ac catholicæ fidei adhærere maluerunt. Nonne jam pudet te VVarthone, Syuropuli de Ambrofio non tam teftimonium, quam convitium protuliffe? Firmior ftat Ambrofii fides ac integritas, quam ut a leviffimo & mendaciffimo Græculo de ponte dejiciatur.

Hodæporicon, feu *Commentariorum Libri duo de Adminiftratione fua*, quibus *Defcriptio Itineris* continetur, quod juffu Eugenii IV. P. M. fufcepit ad Ordinis fui Monafteria utriufque fexus reformanda, in quorum multis collapfa erat difciplina regularis. Prodiit cura Nicolai Bartholini Clerici Regularis e Congreg. Matris Dei Florentiæ ac Lucæ apud Fratres Marefcandolos an. 1681. in 4. Recenfetur magna cum laude *Ambrofii* in Journal des fçavans anno 1682. menfe Martio pag. 61.

Chronicon, feu prolixior hiftoria Afceterii Cafinenfis, quam ftylo rudi & barbaro confcriptam una cum Dialogo Defiderii Abbatis Cafinenfis eruit, & recognovit.

Tractatus de Sacramento admirabili Corporis Chrifti, quem ipfi VVarthonus in Supplem. ad Hift. Liter. Cavei attribuit, Oudinus vero prætermittit, vel omnino abjudicat, dum negat, Ambrofium quidquam fcripfiffe de Sacramentis; quemadmodum etiam inficiatur, *Tractatum de Spiritu Sancto contra hæreticos, negantes Spiritum Sanctum procedere a Filio*, quem ei Poffevinus attribuit, ab ipfo fuiffe compofitum, nixus auctoritate Voffii Lib. 3. de Hiftor. Lat. cap. 5. p. 556. edit. vet. Etenim, inquit Oudinus, tranftulit tantum Latine *Opus Græcum Manuelis Calecæ libris IV. conftans contra errores Græcorum*: quam translationem Ambrofii Camal. primus edidit Petrus Stevartius Leodienfis anno 1608. Ingolftadii in 4. quod opus additum ab illo fuit Antiquis Lectionibus Henrici Canifii Tomo IV. Idem Oudinus refellit cit. VVarthonum, qui Ambrofium *Opus contra vituperatores Monafticæ vitæ*, inter MS. Codices Bibliothecæ S. Juftinæ Patavinæ affervatum, compofuiffe fcribit, cum illud fit fœtus ingenii S. Joanuis Chryfoftomi, quem duntaxat Ambrofius e Græco in Latinum tranftulit. Quæ fuit prima Ambrofii verfio, quam ea caufa fufcepit ut illos in ruborem daret, qui monafticam ipfius vitam, & Religionis Camaldulenfis ingreffum in reprehenfionem vocabant, *fimulque omnibus monachis maximo & folatio & ufui fore arbitrabatur, cum illi caufam fuam animadverterent, ante mille annos a præftantiffimo viro tanta vel cura fufceptum vel elegantia & ubertate defenfum*. Hæc verfio legitur paffim inter Opera D. Jo. Chryf. A vero autem abeft, quod Oudinus dicit, hoc Opufculum ab Ambrofio editum effe Aloftenii anno 1487. quo tempore ille non amplius inter vivos fuit; etfi vero editio hodie fit rariffima, ab alio tamen eam fuiffe accuratam oportuit. MS. autem habetur, tefte Bernardo Montfauconio e Congr. S. Mauri in Diario Italico Parifiis 1702. in 4. edito, cap. 26. p. 392. in Fefulana Canonicorum Regularium Bibliotheca, quam Siuibaldus an. MCCCCLXI. defcripfit.

Quod primum fcite interpretandi fpecimen Mathæo, venerabili Monafterii fui Patri probari, ubi animadvertit, toto pectore ad alia ejufdem S. Doctoris opera Latine reddenda incubuit. Nam præter homilias in Mathæum, quas juffu Eugenii IV. cum jam Generalis effet Præpofitus, non invenufte vertit, tranftulit alias ejufdem

(a) vid. Labb. Concil. Tom. 18. col. 398.

dem lucubrationes in Johannem, super epistolas Pauli, sermones contra Judæos, & de Deo incomprehensibili homilias XL. multaque alia de diversis argumentis, libris decem & octo comprehensa: quæ omnia in editionibus Operum Divi Chrysostomi Græco-Latinis ultimis occurrunt. In Bibliotheca etiam Sfortiana, ut Oudinus notat, inter MSS. Cod. Latinos, in Classe Theologorum Cod. 27. legitur, *Chrysostomus de Consolatione, Latine per Ambrosium Camal.* in membrana in 4.

S. Ephræm Syri Sermones XIX. ex Syro idiomate in Græcum prius translatos Latinitate donavit, quos Matthæus Lehurorius post editionem Brixiæ an. 1490. accuratam Argentorati an. Ch. 1509. excudit. Repetita fuit editio Coloniæ Agrippinæ 1547. in 8. Manuscripti habentur in Bibliotheca Florentina Monasterii Angelorum, cum epistola ejusdem Ambrosii ad Cosmum Medicæum an. 1458. die 9. Februarii, quo tamen tempore jam inter vivos esse desiit Ambrosius. Quare hæc epistola, quę a Montfauconio visa fuit, ut ipse in Diario Italico cap. 25. p. 371. fidem facit, hoc anno exarari ab Ambrosio non potuit. Extant etiam MSS. in Cæsarea Bibliotheca Vindobonensi, Cosmo de Medicis, summo ipsius Mecenati nuncupati. Italicam versionem Sermonum S. Ephræm ab Ambrosio curatam lego in Catalogo librorum, quem Londini Jacobus Jonson & Joannes VVats Typographi an. 1726. vulgarunt.

Sermoni di S. Efrem nuovamente dal Greco nella volgar lingua tradotti da Ambrosio Eremita Camaldolese. In Venezia al segno del Pozzo 1545. in 8. Non memini Auctoris, qui hac de versione Italica faciat mentionem.

S. Joannis Scholastici Climax, seu Scala perfectionis, quod opus e Græco Latine redditum Venetiis 1531. publicam lucem aspexit.

Tractatus de Virginitate, vulgo S. Basilio adscriptus, quem Gabrieli Condolmerio, S. R. E. Cardinali, postea Eugenio IV. P. M. inscripsit, quique inter D. Basilii Opera Græco-Latina habetur excusus. Fuit ille Cardinalis Ordinis Camaldulensis Protector, & Ambrosio addictissimus.

D. Athanasii libros duos contra Græcos Latine vertit, quos inter ejusdem S. Patris Opera Græco-Latina invenies.

Palladii, Vita S. Chrysostomi e Græco Sermone in Latinum versa ad Imperatorem Sigismundum. Prodiit versio Venetiis an. 1533. & alibi. MS. extat Venetiis in Bibliotheca S. Antonii cum miniaturis.

De Vitis Patrum liber decimus, auctore Joanne Moscho, interprete Ambrosio Camald. Hujus decimi libri interpres est Ambrosius Camald. abbas. Ita enim in Apostolica Bibliotheca se invenisse testatur Aloysius Lippomanus præfatione ad Lectorem, qui primus edi curavit Tomo VII. de Vitis Sanctorum. Vid. Rosvveyd. Prolegom. XIV. in Vit. P. P. p. 45.

Possevinus in Apparatu sacro ait, *Vitam S. Eugeniæ* scriptam ab Ambrosio Camal. Abbate, an versam vult? certe plura alia Vitas Patrum spectantia idem auctor eodem teste vertit, Rosvveyd. Proleg. XIV. p. 41. Quod forsan etiam de *S. Gregorii Nazianzeni vita* intelligendum venit; item *de Vitis seu Agone SS. Probi & Hyacinthi*.

Tractatus S. Basilii de Paradiso, de Sacerdotio, item ejusdem Epistola *de Vita solitaria* ad Gregorium Nazianzenum.

Joannis Moschi Pratum Spirituale, quod Possevinus Vitas Monachorum appellat, in Latinam transtulit linguam.

In eandem linguam ex Græco traduxit *Libros IV. B. Dionysii Areopagitæ*, elegantiori & familiari stylo, nempe *de divinis nominibus, de cælesti & Ecclesiastica Hierarchia, de Mystica Theologia*: quæ versio Argentinæ an. 1498. & Coloniæ Agrippinæ an. 1546. impressa fuit. Hos Dionysii Areopagitæ libros excudit quoque Zuentelius Coloniæ an. D. 1546. cum Commentariis Dionysii Carthus., & quatuor aliis versionibus, quas enumerat Oudinus de Script. E. Tom. III. Sec. XV. p. 2434.

Æneæ Dialogum Theophrastum Latine idem transtulit, *De immortalitate animæ, deque corporum resurrectione* inscriptum, quem, teste Oudino, Basileæ excudit Episcopius cum Philonis Judæi Operibus.

In Versionibus hucusque enumeratis, ascetici ac monastici fere argumenti, operam Ambrosius impigro contrivit animo, non vero pari alacritate eamdem versioni librorum Diogenis Laertii addixit quam ab amicis satis importune rogatus fuerat. Quam invitus hoc bellum militaverit, ejus verba Epist. 1. lib. 19. declarant: *Magna me hominum vis impulit*, inquit ad Leonardum Justinianum scribens, *ut præter institutum meum, quo jam pridem solis sacris literis ex Græco transferendis operam dare decreveram, Diogenis Laertii libros de Vita decretisque philosophorum in Latinum convertam .... Vicit tamen amicorum vis nimia, adjectis adhortationibus, fere dixerim summorum virorum, Archiepiscopi Genuensis, Antoniique Mascani*. Similes instaurat querimonias Ep. 3. lib. 18,

&

& Ep. 1. lib. 15. Qua tamen amicis obsequendi erat promptitudine, Laertii libris Nicandrum ac Philostratum, simulque & opuscula quædam Plutarchi quorum desiderio maxime flagrabant, superaddidit. *Libros* vero X. *Diogenis Laertii de Vitis Philosophorum* Cosmo Medicæo inscripsit, quos Curio Basileæ cum versione Ambrosii edidit an. 1529. cum jam Venetiis apud Nicolaum Janson an. 1475. in 4. excusi fuissent, Ambrosio non adhuc, ut Oudinus erronee scribit, in vivis agente, sed jam dudum ex iisdem exempto. Iterata editio fuit Basileæ an. 1533. in 4. apud Hier. Frobenium & Nicolaum Episcopium.

Quibus aliisque e Græco in Latinum versionibus tametsi Ambrosius elegantis, concinni, atque præclari Interpretis laudem a viris doctissimis quamplurimis tulerit, eidem tamen Daniel Huetius & Elias Dupinius non nihil detrahunt, quorum prior Lib. II. de Clar. Interpret. pag. 278. ita scribit: *Eadem quoque ætate prodiit ex Emanuelis Chrysoloræ umbraculis vir pietate juxta & doctrina insignis Ambrosius Camaldulensis, non satis politus & ut vitæ instituto, sic sermone austerus, stylo quandoque extra callem excurrens*. Posterior vero Nov. Bibl. Auth. Eccles. Tom. XII. cap. IV. p. 95. col. 1. hæc habet: *Le stile d'Ambroise Camaldule est assez Latin, mais il se donne beaucoup de liberté dans ses Traductions & ne rend pas toûjours les termes selon leur vraie & propre signification*. i. e. *Stylus Ambrosii Camaldulensis satis Latinus est; at in vertendo licentiam æquo majorem sæpius sibi permittit, neque verba verbis reddit secundum verum & proprium eorum significatum*. Ita nemo omnibus, maxime Criticis satisfacit. Sed a Versionibus ad Opera, quæ propria industria elaboravit, revertamur. Sunt vero

Orationes nonnullæ ad Conciliorum Ferrariensis & Florentini Patres habitæ. Oratio Græca Leonardo Justiniano mirum in modum laudatur, sed eam Ambrosio per æmulorum invidiam dicere non licuit. Vid. Aug. Flor. in vita.

Libri Epistolarum. Prope finem vitæ erat, cum amicorum rogatu, atque adeo impulsu epistolas suas colligere cœpit; at collectionem illam morte interceptus absolvere haud potuit, quam ipsius tamen clientes ac charissimi filii perficiendam sumpserunt atque ad illam perfectionem, quæ nostris modo oculis obversatur, perduxerunt. Unde factum, ut plures Epistolarum ipsius habeantur Collectiones. Prima, quæ in Bibliotheca S. Michaelis Muriani reperitur, constat Epistolis CCLXI. septem in libros distributa. Collectio secunda, quæ & in sacra Eremo, & in Bibliotheca V. C. Antonii Magliabecchi custoditur, complectitur epistolas CCCCXXXVIII. in libros tredecim divisas. Tertiam Collectionem libris XVIII. digessit Michael Monachus Ambrosii discipulus, in quibus extant CCCCL. In quarta Collectione Epistolæ DXLVIII. continentur totidem in libros, sed alio ordine dispositos congestæ. Has omnes Collectiones cum reperisset Mabillonius in Florentinis Bibliothecis, quartam, cujus & ordo probabilior, & numerus epistolarum amplior visus est, describendam aliis prætulit vir doctissimus. Quam ex Italia in Gallias allatam Edmundus Marthene & Ursinus Durand ab obitu Mabillonii Collectionis Amplissimæ Tomo III. anno 1724. Parisiis apud Montalant in fol. typis vulgarunt. Cui Collectioni libros 19. & 20. adjecere quos ex Epistolis Ambrosii ad diversos, & nominatim ad Franciscum Abbatem de Carecibus scriptis confecerunt. Etsi vero omnes Ambrosii Epistolæ, judice Mabillonio, sint optimæ, ex sententia tamen Editorum, quæ ad Eugenium Papam datæ fuerunt, aliis facile præstant, cum dignitate rerum, tum orationis majestate. Plenissima Ambrosii Epistolarum collectio nunc Florentiæ sub prælo est.

Præfationes. I. in vitam S. Joannis Chrysostomi ad Eugenium IV. P. II. In Librum S. Joannis Chrysostomi ad Stagirium Monachum arreptitium de Providentia Dei ad illustrissimum Principem Petrum Lusitaniæ Regis Filium. III. In S. Joannis Chrys. libros adversus vituperatores vitæ monasticæ. IV. Prologus in translationem a se factam Scalæ S. Joannis Climaci. V. In libros S. Basilii Episcopi de vera Virginitate. VI. Epistola in versionem, VII. Homiliarum S. Ephrem. VII. In versionem Laertii. Cęterum de Pręfatione ad Cosmum Medicem in homilias S. Ephręmi Syri videndus est Lambecius Comment. de Bibl. Cæs. Lib. 1. Additam. III. pag. 119. 120. 121. quam elegantissimam eo loco integram exhibet, ea pręcipua causa adductus, quod Gerardus Vossius Prępositus Tungrensis in sua omnium Operum S. Ephręmi editione latina, nullam versionis istius antiquę fecit mentionem, cum tamen certo constet, illum ea usum fuisse, suo enim se prodit indicio tanquam sorex, dum epistolam dedicatoriam ad Summum Pontificem Sixtum V. ad imitationem Ambro-

brosii Camaldulensis hoc orditur initio :
„ Biennio antequam in excelsm istam Ec-
„ clesiç speculam , sedem Petri , evehere-
„ ris , Sixte V. Pont. Max. virum mihi
„ peregrinum e media Sytia oriundum , &
„ per Grçciç climata huc profectum , ut
„ major ejus haberetur ratio , commenda-
„ sti , ac ut eodem mecum Romç excipe-
„ retur contubernio , desiderasti . Cum enim
„ propter Turcicam tyrannidem , cuncta
„ devastantem atque obscurantem , non
„ amplius eo haberetur honore apud suos
„ Syros & Grçcos quo antea , sed jam
„ vilesceret , laborumque ejus fructus , ibi
„ deperiret , ad Latinos , & quidem ad
„ ipsam Urbem Romam , velut ad secu-
„ rum extra pericula portum ex Barbaro-
„ rum manibus confugit , ut ibidem reflo-
„ resceret , & fructum uberiorem , tanquam
„ loco magis fœcundo excultior redditus
„ produceret : ubi etiam , quod multo ni-
„ mis tempore aliter atque sperarat ; ob-
„ scurus spretusque lateret , nec esset qui
„ illius curam susciperet , Tu tandem non
„ sine Divina providentia eum e latebris
„ & tenebris vindicandum , mihique licet
„ homini hic externo , & ex ultima pœne
„ Germania oriundo , committendum tra-
„ dendumque solicite curasti . Itaque feci
„ non invitus , quod in hospite illo exci-
„ piendo , tibi cum primis gratum , mihi-
„ que jucundum , atque aliis carum & uti-
„ le fore intelligebam , ipsumque a te us-
„ que adeo commendatum peramanter ad-
„ misi , suscepi , & gratulabundus in idem
„ mecum contubernium introduxi . Quem
„ dum coram jam alloqui incipio , pere-
„ grina utentem lingua comperio , a no-
„ stro loquendi usu multum aliena , unde
„ statim , an aliam etiam nobis utcumque
„ communem calleret , percontor : ipse ve-
„ ro prçter maternam illam suam Syram ,
„ se quoque Grçcam ab optimis hausisse
„ magistris respondit , (a) Latini autem
„ Sermonis prorsus ignarum . Quare me ,
„ ut inter Latinos latine eum loqui do-
„ ceam , vel saltem Interpretem ipsius agam
„ interpellat , ut in occiduis partibus , ubi
„ antea minus fuerat cognitus , deinceps
„ magis innotescat , & ab omnibus intelli-
„ gatur . Atque ubi jam consedimus ambo ,
„ animadverto ab ipso mox Sermonis exor-
„ dio , hospitem illum meum moribus sua-
„ vissimis prçditum , variisque animi doti-
„ bus pulcherrimis ornatum , & in rebus
„ Divinis exercitatissimum ; nihilque eum
„ humile , nibil abjectum , nihil molle ,
„ nihil absurdum aut infimum sentire un-
„ quam vel loqui ; sed omnem ipsius ora-
„ tionem a DEO rebusque cœlestibus ,
„ ipsumque vitia ubique acriter reprehen-
„ dentem , ac virtutes mirifice celebran-
„ tem , non voce duntaxat , sed opere po-
„ tius vivo atque exemplo , affectiones de-
„ nique nostras ad DEI amorem , vani-
„ que hujus sçculi contemptum , ac ad
„ cœlestis regni gaudia consequenda , for-
„ midabilia autem inferni tormenta effu-
„ gienda , ubicumque serio ac graviter mo-
„ ventem atque flectentem ; ut merito de
„ tali tantoque nobis viro gratulandum
„ sit , cujus etiam nihil vel aspectu gra-
„ vius , vel doctrina salubrius , vel con-
„ suetudine jucundius dici fingive posset .
„ Sed quisnam homo ille sit peregrinus ,
„ fortasse tecum ambiges ? Cujus etsi me-
„ moriam nondum Sanctitati T. excidisse
„ credam , quod non ita nullum interflu-
„ xerit temporis , quo illum nobis com-
„ mendasti , ac tradidisti , tamen ut cla-
„ rius rem exprimam , & ne aliis παραβο-
„ λικῶς aut potius ὑποσολοικῶς loqui vi-
„ dear , quis is sit enarrabo . Ephrçm hic
„ est Syrus &c. „ Hçc Gerardus ille Vossius, Prçpositus Tungrensis, simius *Ambrosii Camaldulensis*; cujus mentionem licet maligno silentio de industria prætereat, sententiam tamen, & verba præfationis ad *Cosmum Medicem*, adeo manifeste usurpat, ut primo intuitu videre sit, quod alienam gloriam falsa æque ac ambitiosa venditatione sibi attribuere haud verecundetur. Vid. Lambecium Commentar. de Biblioth. Cæsar. lib. 1. pag. 122. & 123.

Cœterum *Ambrosii Præfationes VII.* post ejus Epistolas ediderunt Edm. Marthene & Ursinus Durand Tomo III. Collect. ampl. pag. 693 – 708. quibus aliorum Virorum illustrium Epistolas ad ipsum datas subjecerunt pag. 708.

Vita integerrime ac piissime acta functus est Ambrosius, Ordinis sui Generalis, morum sanctimonia & doctrinarum copia nulli secundus, postquam octennium summo to-

(a) Falsum hoc. Reclamat enim latina versio *Ambrosii Camaldulensis*, quæ translatione Gerardi Vossii, Præpositi Tungrensis, plus integris centum annis est antiquior. Reclamant etiam editiones operum S. Ephræmi, quæ prodierunt latine Coloniæ Agrip. Typ. Melch. Novesiani A. 1547. in 8., & Venetiis Francisco Zino Interprete A. 1574. in 8. nec non Germanice Joanne Schvvaigero interprete Moguntiæ A. 1565. in 8.

totius Familiæ Camaldulensis splendore præfuit. Quæ Petrus Ricordatus in ejus laudem Historiæ suæ Monasticæ inseruit, non indigna sunt, quæ legantur. De ejus morum suavitate, atque elegantia hæc Jovius habet in Elogiis: *Fuit hic vir, quod raro evenit, sine oris tristitia sanctus, semper utique suavis & serenus: ita procul a livore & contentione, ut cum Valla Poggium reconciliare conaretur, eos neque plane literatos, neque item Christianos videri diceret, qui inductа simultate, sacrosanctum literarum decus probrosis libellis importune defœdarent.* Teste Arnoldo VVion in Ligno Vitæ cap. 28. Obiit Ambrosius anno 1439. die 12. Calendas Novembris Florentiæ, non sine veneni suspicione: cujus corpus ad sacram Eremum delatum, in templo ante majorem Aram honorifice reconditum, sequenti Bartholomæi Latomi Exasticho ornatum cernitur:

Qui legis hunc tumulum, legeres si scripta sepulti
Possentque hic oculis nuda patere tuis,
Quam fluit eloquio, quam dulciter afficit, utque
Nil nisi nectareum quodlibet ore sapit:
Divinus fieres, nec quamlibet ante scivisses,
Jurares dictum protinus Ambrosium.

Mirum, quod Mabillonius in sacra Eremo præsens id Epitaphium, vel quodcunque aliud, oculis se usurpasse neget, ut supra diximus. Gerardum Vossium, qui Ambrosium *obiisse Constantiæ, defunctumque funebri oratione decorasse, discipulum ejus Poggium Florentinum*, revincit Oudinus, sed in eo ipse etiam errat, quod scribat, Poggium anno 1459. non potuisse habere funebrem orationem Ambrosii Camald. Abbatis, qui anno 1490. mortuus legitur. In comperto enim est, Ambrosium an. 1439. e vita migrasse. Illud Oudino facile damus, veri non esse simile, Generalem hunc Constantiæ in Germania decessisse (quid enim rerum post Concilium Florentinum ea in urbe egisset?) Sed Florentiæ in Monasterio Angelorum, e quo ejus funus ad sacram Eremum Camaldulensem delatum fuit. De Scriptis Ambrosii meminerunt multi; nemo exactius & disertius Augustino Fortunio in vita illius Florentiæ edita, seu potius Libro III. Historiarum Camaldulensium, quæ ex Typographia Samartelli prodierunt. Post hunc Encomiasten, quem tantus merebatur Antistes, compendium vitæ exhibent Martene & Durand Tom. III. Collect. amplifs. in Præfatione ad ejus Epistolas. Videri præterea possunt Michael Pocciantius in Catalogo Scriptorum Florentinorum, Antonius Possevinus Appar. Sac. Tom. I. p. 62. Gerardus Jo. Voss. l. 3. de Hist. Lat. c. 5. p. 556. ult. edit. Casimirus Oud. Tom. III. de S. E. Sec. XV. p. 2434. VVarthonus in Supplem. ad Guil. Cavei Hist. Lit. Olearius in Bibl. S. E. pag. 40. Bayle Diction. sub voce Camalduli, Buddeus, & Morerus in Lexicis, & qui his longe præstat, Jo. Albertus Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. vol. I. sed quod amicus non amice secum abstulit, ita ut illud consulere haud licuerit.

IV.

ANDREAS VALLEMANIUS.

Andreas Vallemanius Fabrianensis in Abbatis constitutus dignitate B. Petri Damiani, Cardinalis Ostiensis, Vitam in Tabulas cum aliorum Ordinis Camaldulensis Sanctorum Elogiis digessit. Scripsit etiam Sermonem de Sancto Dominico Loricato. Vid. Grandum *Dissert. Camald. IV. cap. 6. n. 19. pag. 86.*

Edidit Ravennæ an. 1675. Opusculum, cui titulus: *De Obligatione recitandi Officium parvum B. M. V. pro Monachis Camaldulensibus, ac de precibus Horariis Religiosorum Laicorum.* De Vallemanio, Cinellius in Bibliotheca volante Plut. XIV. Multa de Sanctis Camaldulensibus suppeditavit Andreas Agiographis Antuerpiensibus, qui eum plurimum laudant.

V.

ANGELUS DE ANNA.

Angelus de Anna, de Summaripa, Neapolitanus, Monachus Camaldulensis Professus Monasterii S. Michaelis de Muriano, dictus de Laude, seu Laudensis, non quia Laudensi Ecclesiæ præfuerit Episcopus, ut scripsit Ciaconius, sed quia Laude Pompeja, quæ est Urbs ad ripam Addæ fluminis in Insubria suam duceret originem; ut narrat Defendens Laudensis vir eruditus in Laudensi historia, seu in Academico Discursu de Angelo Cardinali de Anna; ab Urbano hujus nominis Sexto Diaconus primo Cardinalis S. Luciæ in Septisolio, postea a Bonifacio IX. Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianę Titulo Pastoris, demum a Joanne XXII. dicto XXIII. anno 1411. Episcopus Cardinalis Pręnestinus renunciatus est. Gesserat enim ante Cardinalatum in Regno Neapolitano Oratoris Apostolici munus, ut illius Regni Pro-

Proceres inter se discordes componeret, & ut cum ipso Rege transigeret, ob non exhibitas Ecclesiæ triremes, & vectigal non solutum, uti ex fœderis formula tenebatur. Interfuit Comitiis habitis pro electione Bonifacii IX. Innocentii VII. Gregorii XII. Alexandri V. Joannis XXII. dicti XXIII. & Martini III. alias V. & ex Ciaconio etiam Eugenii IV. Roma cum Gregorio XII. discedens, Senis aliquando commoratus est; cum autem Pisas inde ad Concilium profectus esset renuente Gregorio, Cardinalatu illico spoliatus est; at Concilii interpositione irrita privatio illa declarata fuit, ut in Sessione decimà sexta. Interfuit quoque Concilio Constantiensi. Decessit Romæ jam longævus & sacri Collegii Decanus, seu Princeps, cum annos plusquam quadraginta in Cardinalatu vixisset, die 12. vel 21. mensis Julii anno 1428. ex Contelorio, Ferdinando Ughellio, Aubery & aliis. Ex Ciaconio vero mense Aprili anno 1431. sed contra illum est inscriptio sepulchralis, quam mox rescribam. Corpus Neapolim translatum, in Ecclesia S. Mariæ de Porta-nova quiescit pulcherrimo conditum sepulchto cum metrico hoc Epitaphio.

Hic jacet in Tumulo sacri de Corpore cœtus,
Laudensis dictus senior: pater optimus iste
ANNA, fuit generosa domus, sed amabile nomen
ANGELUS Angelicam pia mens revolavit in Aulam
Mille CCCC. bis denis octoque junctis
Currebat Christi mensis quoque Julius anni.

Vid. Aug. Oldoinus in addit. ad Ciacon. Tom. 2. pag. 663. & Nicolaus Toppus in Bibl. Neapol. qui inter Scriptores Neapolitanos eum refert, tametsi quid scripserit, non exprimat; quæ causa est, quod nec mihi prætermittendus sit visus. Panvinius in Epitome dicit obiisse anno 1431. mense Aprili; at ex allato Epitaphio errare convincitur, inquit Arnoldus VVion Ligno Vitæ Lib. 1. cap. 23. p. 41.

VI.

ANGELUS CALOGIERA'.

ANgelus Calogierà Monachus Camaldulensis in S. Michaelis Muriani Cœnobio prope Venetias ætatem hodie agit, librisque operam dat conscribendis. Anno abhinc vigesimo parvas aliorum Dissertationes, aliaque literaria monimenta, quæ viri literati sui temporis, atque sæculorum proxime superiorum ediderunt, compilare in animum induxit: e qua compilatione nec eas exclusas esse voluit lucubrationes, quæ in sæculis magis remotis lucem aspexerant. Præcipue tamen earum Dissertationum collectionem adornare instituit, quæ ob exiguam suam molem nemini fere curæ sunt, postea oculis se subducunt, dispareat, nullamque, etsi magna conquisitæ diligentia, sui copiam deinceps faciunt. Nec omnium tamen promiscue Auctorum Opuscula collegit, sed eorum solum, quibus Italia patrium est solum. Hi vero quo demumcunque sermone usi fuissent, juxta habuit, modo ab eorum scriptis ad rem literariam accessionem fieri posse judicaret. Quod etiam de argumento dicendum venit; alia enim sunt Philosophica, Theologica, Moralia, Mathematica; alia Poetica, Oratoria, Historica cum ecclesiasticæ tum civilis eruditionis. Quod si vero de Collectoris facultate & ingenio ex scriptorum collectione existimare fas est, Angelum Calogierium virum sane omnigena eruditione sacra & profana instructissimum esse fateamur necesse est: Qua enim ratione sciens ac prudens id genus auspicari collectionem sustineret, nisi habito Opusculorum delectu? hunc vero habere qui posset, si minus singulorum argumenta calleret, atque intelligentia non penitus assequeretur? Ejus compilatio Tomis XL. in 12. comprehensa titulum præfert:

Raccolta di Opuscoli Scientifici, e Filologici. Tomo primo &c. In Venezia appresso Cristoforo Zane, 1728. i. e. Collectio Opusculorum Scientifici & Philologici argumenti. Tomus I, &c. Venetiis apud Christophorum Zanem 1728.

In Lectoris gratiam Syllabum Opusculorum Tom. I. & II. hic adscribam, ut ex eo cum specimine de cœteris judicium ferre possit.

Indice degli Opuscoli del primo Tomo.

I. Relazione di una Vipera, che ha partoriti i Viperini per bocca, mandata dal Sig. G. Paolo Limperani Medico Romano al Sig. Vallisnieri.

II. Risposta del Signor Vallisnieri alla suddetta Relazione.

III. Informazione, ed usi del novissimo Planisferologio posseduto dalla Serenissima Dorotea Sofia Co: Palatina del Reno, Duchessa di Parma, Piacenza &c.

IV. Progetto ai Letterati d'Italia per scrivere le loro Vite del Sig. Giovannartico Co: di Porzia.

V.

V. Vita di Giambattista Vico scritta da se medesimo.

VI. Dell' Origine, de' Progressi, e dello stato presente della Città di Prato. Ragionamento Istorico del Co: Giambattista Casotti Canonico Pratese.

VII. Vita del Conte Galeazzo Gualdo Priorato descritta dal Sig. Cavalier Michelangelo Zorzi Vicentino.

VIII. Lettera sopra il Decameron del Boccacio del MDCCXX.

IX. Lettera di Tubalco Panichio Pastore Arcade in difesa dell' uso promiscuo del V. S. e del Voi.

Indice degli Opuscoli del secondo Tomo.

I. Tre Lettere del Sig. Cav. Antonio Vallisnieri sopra alcune cose di storia Naturale e di Medicina.

II. Lettera del Sig. Co: Camillo Silvestri a Monsignor Filippo del Torre intorno all' Iscrizione dell' Arco di Settimio Severo.

III. Apologia per le stampe d'Italia del Dottor Giuseppe Bianchini di Prato al Sig. Co: Giovambattista Casoti Canonico Pratese.

IV. Lettere del Sig. Co: Jacopo Ricato in difesa del Libro dell' Origine delle Fontane del Sig. Cav. Antonio Vallisnieri contro l'estratto fatto di questo libro dagli Autori degli Atti Eruditi di Lipsia.

V. Lettera di NN. al Sig. Raimondo Cecchetti intorno a Giovambattista, e Girolamo Fratelli Amaltei.

VI. Vita di Pier Jacopo Martello scritta da lui stesso sino l'anno 1718.

VII. N. Caffarelli Dissertationes tres ad Historiam naturalem spectantes.

VIII. P. Thomæ Pii Maphęi de usu Mathesens in Theologicis, & diversa circa Principium Universale Staticum Galilæi, & Cartesii sententia. Dissertationes duæ Epistolares.

IX. Istoria di un Mostro Raniforme scritta dall' Abbate Carlo Girolami al Sig. Cav. Antonio Vallisnieri.

Et si vero Cl. *Calogierà* Romæ, oleum & operam hoc labore lusisse non nemini dicatur; sunt aliis tamen in locis Viri eruditi, qui hanc Collectionem minime in contemptu ponunt, cum in eis Opuscula contineantur, quæ insignem suo tempore usum præstare possunt.

Alia quoque edidit Author, eaque sunt *Biblioteca Volante di Gio: Cinelli Calvoli &c. edizione seconda in miglior forma ridotta e di varie aggiunte ed osservazioni arricchita*. Venetiis apud Joannem Baptistam Albrizium Tom. IV. in 4. Additiones & observationes quartam partem hujus novæ editionis efficiunt.

Novelle della Repubblica delle Lettere anni 1729. & anni 1731. usque ad Julium mensem Venetiis apud Albrizium.

Meditazioni per la Festa di S. Benedetto, e per quelle de' Santi principali del suo Ordine aggiuntavi la Regola d' esso Santo. Venetiis apud Simonem Occhi 1745. in 12. Meditationes a me latine factæ Pragæ nunc sub prælo sunt.

Le Virtù di S. Romoaldo Padre de' Monaci ed Eremiti Camaldolesi proposte da meditare e da imitare ai suoi divoti. Venetiis apud Simonem Occhi 1745. in 12.

Ragguaglio della Vita e della Morte di Giustina Manzoni Vergine Veneziana scritta da un Monaco Camaldolese. Venetiis 1740. typis Jo. M. Lazzaroni & Dominici Tabacco. in 8. Pręfationem addidit Anselmus Costadonius, qui Opusculum sodalis sui e tenebris eruit, & in lucem protulit.

Hodie Opera bina prę manibus, ut accepi, habet. Alterum, quod omnis generis materias tam ad historiam, quam ad ascesin, & disciplinam monasticam spectantes, ac aliqua ratione religionem Camaldulensem respicientes complectetur; alterum pręter historiam, Vitasque Sanctorum Italice scriptas nil continebit, quod ad dimidiam partem elaboratum esse audio. Deus conservet Cl. Authorem, ut extremam addere manum possit. De Angelo Calogierà Ephemerides Venetę & Florentinę. Acta Eruditorum Lipsię, Marianus Ruele in Biblioth. Vol. Armellinus in Appendice ad Bibl. Cass. *De quibusdam aliis per Italiam Ord. D. Benedicti Congregationum Scriptoribus*, *Muratorius Antiq. Med. Ævi* & plures alii.

VII.

ANGELUS GABRIELIUS.

Angelus Gabrielius Venetus Lucę civis Veneti filius, cum decemviralis Consilii esset a Secretis, mundo renuntians Monasticen professus est in Monasterio S. Michaelis de Muriano anno 1608. die 28. Septembris. Multa scripsit quę MSS. in eodem Monasterio servantur, quęque Religiosam auctoris pietatem & studium pręseferunt eaque sunt:

Opuscula Theologica Tom. III. in 4.

Opuscula Canonico-Moralia ad Monachos spectantia.

Trattato delli dodici frutti della Confessione. Tom. I. in 4.

VIII.

ANSELMUS COSTADONIUS.

ANselmus Costadonius Venetiis anno 1714. 6. Octob. natus sacræ Camaldulensi Militiæ nomen dedit in Monasterio S. Michaelis de Muriano anno 1730. Studiorum cursus obrumpere adversa valetudine per aliquot annos coactus, pristinæ restitutus saluti amænioribus antiquitatis necnon eruditionis præcipue Ecclesiasticæ studiis operam dedit, ediditque

Vita del P. D. Romano Merighi Abate Camald. Extat in T. XXVI. p. 127. Collectionis Opusculorum Philologicorum.

Adnotationes in Vitas S. Romualdi, S. Odilonis, & SS. Rodulphi Episcopi & Dominici Loricati a D. Petro Damiani conscriptas, quæ editæ fuerunt Venetiis una cum aliis operibus ejusdem S. Petri Damiani typis Josephi Coronæ anno 1743. Sub Anonymi nomenclatura abscondit se Auctor; qui etiam ficto Typographi nomine Præfationem seu potius Dissertationem eruditam luculentamque præmisit in eadem Damiani opera. Hæ Adnotationes plurimum laudantur a Bonifacio Collina in Vita S. Romualdi nuperrime edita.

Memorie della Vita e dello Spirito dell' Abate Giovanni Franceschi Patrizio Veneziano Solitario del Monastero di S. Michele di Murano, scritte da un Monaco Camaldolese del Monastero medesimo Venezia 1745. appresso Domenico Tabacco in 8. pag. 158.

Osservazioni sopra un' antica Tavola Greca, in cui è rinchiuso un' insigne pezzo della Croce di Gesù Cristo, la quale conservasi nel Monastero di S. Michele di Murano. Extant in Tomo XXXIX. p. 105. Collectionis Opusculor. edito anno 1748. Hasce Observationes in latinum transtulit rogante Cl. V. Antonio-Francisco Gorio Florentino, qui eas edidit Florentiæ in Tomo III. Collectionis, cui titulus *Symbola Literaria.*

Dissertatio Epistolaris in antiquam sacram eburneam Tabulam opere anaglypho elaboratam, quæ in Monasterio S. Michaelis penes Murianum adservatur. Extat in Tomo XL. Collectionis Opusculorum Philologicorum, edito anno 1748.

Dissertazione sopra il Pesce come simbolo di Gesù Cristo presso gli antichi Cristiani. Legitur in Tomo XLI. ejusdem Collectionis hoc anno in lucem edito.

Conscripsit etiam Costadonius Dissertationem de locis Venetorum, quos incoluit S. Romualdus, eamque dedit Viro Cl. Bonifacio Collina, qui in quodam opere evulgare ducit. Sic enim adnotavit in S. Romualdi Vita T. II. p. 248. *Una Bella Dissertazione ha poi scritta a Noi il nostro P. D. Anselmo Costadoni, che sommamente si diletta della sacra erudizione e di quella spezialmente, che alla nostra Congregazione appartiene. La mole di questa Opera non ci permette di pubblicarla in essa, ma lo faremo nell' altra, che abbiamo già promessa, e questa degna fatica del nostro dotto Amico, sarà uno de' più cospicui ornamenti della medesima.*

IX.

ANTONIUS FRANCISCUS CARAMELLUS.

ANtonius Franciscus Caramellus Florentinus sacrarum doctrinarum scientiam in illustri Florentiæ Cœnobio Angelorum id temporis professus est, quo Joannes Mabillonius, Vir celeberrimi nominis e Congreg. S. Mauri sub auspiciis Ludovici XIV. Regis Galliarum iter literarium per Italiam instituens, ad illud delatus fuit. Et huic Scriptori quam exiguam de *Caramello* tradimus notitiam, in acceptis referre debemus. Sic vero scribit *Musei Italici pag.* 170. *Antonius Franciscus Caramellus*, eruditus Theologiæ Lector in eodem Monasterio Angelorum, multis nos Officiis obstrinxit, literis ad amicos juvit, & quasdam *Conciones* suas editas dono dedit. Obiit Arretii in Monasterio S. Mariæ ad Gradus, in cujus funere Panegyrim habuit Octavius Ruschius e Soc. Jesu. Eum etiam laudarunt plurimi Etrusci Poetæ, quorum Carmina in unum collecta edita fuere Florentiæ eodem anno 1730. typis Tartinii & Franchii. Videsis editionem secundam *Bibliothecæ Volantis* Johannis Cinelii, qui mentionem fecit Orationis, cui titulus: *Orazione Panegirica detta alle glorie immortali di S. Filippo Neri. Venezia 1683. per il Conzatti in 4.*

X.

ANTONIUS PARMENSIS.

ANtonius Parmensis trigesimus septimus a S. P. Romualdo sacratissimæ Eremi & Ordinis Generalis insignia anno 1410. adeptus est, cum ageret Abba-

tem

tem Cœnobii Vangaticiæ. Fuit vir præclara eruditione atque dicendi facundia ornatus. Ejus temporibus opera Sigismundi Cæsaris celebrata est Synodus Constantiensis, in qua tres Pontifices, nempe Joannes, Gregorius, ac Benedictus Pontificatu sunt dejecti, & Martinus V. creatus. Ad eam Synodum *Antonius* quoque Generalis profectus, multum ex se divinarum humanarumque scientiarum peritiæ ostendit: nec non eruditissimo ingenio, ornatissimoque dicendi genere magnam sui in Conventu opinionem excitavit. Quare plurimum inde elatus, ambitiosius quam par erat, & quasi intolerabilem se se gerere non animadvertens, graves nimium controversias cum Eremitis sustinere voluit, qui de eo apud ipsum Martinum Pontificem Florentiæ agentem anno 1419. ubi questi sunt, res eo loci deducta est, ut *Antonius* jussu Pontificis insignia exuerit Generalatus, omnique jure & administratione Vangaticiæ, quam in commendam obtinebat, fuerit spoliatus. Postea tamen cum amicorum ope ad Sacerdotium Vangaticiæ redire sibi permissum esset, præfuit ibi Abbas usque ad *Ambrosii* Generalis tempora, quando Episcopus Ferrariæ fuit nominatus: & Cœnobium Cardinali Bononien. ab Eugenio IV. commendatum, ea lege, ut Collegium Monachorum Camaldul. illic ut antea enutriretur, & consuetæ collectæ Generali persolverentur.

Scripsit *Antonius* quædam præclara Opuscula, ut proditum est a P. Jacobo Philippo Bergomensi: *Sermones de tempore: de Sanctis, & pro Quadragesima singulares libros*.

Vid. Aug. Flor. Hist. Camald. l. a. c. 64. p. 237. Ant. Possev. Appar. Sac. part. 1. p. 145.

XI.

ARCANGELUS HASTIVILLIUS.

Archangelus Hastivillius, Rhotomagensis, & Gallicanæ Congreg. Camaldulensium *Major*, vir apprime pius, & insigniter eruditus ad scribendam Eremitarum Camaldulensium historiam animum adjunxit. Quam ut perfecit, hoc titulo publicam in lucem dedit:

Romualdina, seu *Eremitica Camaldulensis Ordinis Historia in* 8. *Paris.* 1671.

Facem ei prætulit *Lucas Hispanus in sua Romualdina* seu *Eremitica Montis Coronæ Historia*, quam interpolasse magis, quam novam condidisse dicendus est. Unde a Guidone Grando Dissertatione I. Camaldulensi cap. 1. num. III. pag. 5. *Lucæ Hispani Interpolator* nulla injuria vocatur.

XII.

ARCHANGELUS SPINA.

Archangelus Spina, Neapolitanus, Eremita Camaldulensis typis describendos dedit Italico sermone elegantes.

Rythmos Spirituales: Neapoli apud Joannem Dominicum Roncagliolum an. 1618. in 4. Vid. Toppus Bibl. Neapol. pag. 33. col. 2.

XIII.

AUGUSTINUS ROMANUS FIORI.

Augustinus Romanus Fiori seu *de Floribus*, Cremonensis Monachus Camaldulensis, Sac. Theologiæ Lector emeritus, & in Academia Theologica Romana Censor, S. Congregationis Indicis Consultor, nec non Eminentissimi Domini Cardinalis Belluga & Concilii Lateranensis Theologus, scripsit Italice.

Vita del B. Michele Eremita Camaldolese con l'Origine, approvazione Pontificia, & Indulgenze della Sacra Corona del Signore da lui instituita. i. e. *Vita B. Michaelis, Eremitæ Camaldulensis, cum Origine, approbatione Pontificia, & Indulgentia Sacræ Coronæ Domini Nostri ab ipso institutæ. Romæ an.* MDCCXX. *ex Typographia Vaticana in* 8. Vita ab Auctore nuncupata est Em. Cardinali Antonio Felici Zondadari Sacri Ordinis Camaldulensis Protectori.

Vita del B. Paolo Giustiniani Institutore della Congregazione de' Padri Eremiti Camaldolesi di S. Romualdo, detta di Monte Corona, descritta e dedicata alla Santità di N. S. Papa Benedetto XIII. da D. Agostino Romano Fiori Monaco Camaldolese. i. e. *Vita B. Pauli Justiniani, Institutoris Congregationis PP. Eremitarum Camaldulensium S. Romualdi, nuncupatæ Montis Coronæ, conscripta & dedicata Sanctitati D. N. Papæ Benedicti XIII. ab Augustino Romano a Floribus M. C. Romæ an.* 1724. *ex officina Antonii Rossi in* 4. Hæc Vita est Synopsis tantum & quidam, ut vocant, *Extractus* ex Vita B. Pauli Justiniani, quam tomis duobus crassæ molis comprehensam in MSS. reliquit *Joannes Avogaro* e Tarvisio Eremita Camaldulensis, de quo infra. Cujus methodum ut retineret *Florius*, Vitam in duos distribuit libros, quorum primo Vitam B. Pauli in

fæculo, & in facra Eremo Camaldulenfi, altero ejus Gefta & Acta extra Camaldulum ufque ad beatum ipfius obitum defcribit.

Hymnus de Deo folis Scripturæ facræ dictis & fententiis compofitus. Faventiæ 1706. & Romæ 1722. typis de Rubeis.

Ecclefia in triplici ftatu Legis Naturalis, Legis Veteris, & Legis Novæ. Romæ typis Komarek 1699. in fol.

Vita del B. Giacomo Bertoni. Faenza 1713. in 4.

Vita del B. Lodolfo Panfilj. Roma 1722. in 8.

Vita di S. Omobuono. Roma in 12.

Ex Hifpanico idiomate tranftulit. *Manuale Criftiano*. Roma 1727. & *La Luce dell'Anima*. Roma 1724. in 8.

Ineditam reliquit Verfionem *de Cœlefti Hierarchia*, & Opus *de Babylone Magna*. De hifce operibus meminit P. Calogierà in fecunda editione Bibliothecæ Volantis.

XIV.

AUGUSTINUS FORTUNIUS.

Auguftinus Fortunius, Fefulis, Hetruriæ oppido natus, Florentinum fe dici maluit, eam forfan ob caufam, quod alteruter parentum ea ex urbe oriundus effet. Quo fæculi decimi fexti anno vitam adierit, pro comperto non habeo. Parentibus admodum adolefcens deftitutus, Cofmi Medicei liberalitate in almo Pifarum Collegio quinquennium educatus fuit. Poftquam vero non liberalibus modo, fed gravioribus etiam difciplinis animum egregie excoluit, Athenæo hoc egreffus in Monafterium Angelorum Florentiæ ingreffus eft. Ejus præcipua laus eft, quod ad imperium fuperiorum, fpacio duodecim annorum, evolvendo antiquitatis monimenta, omnium primus Hiftoriam Camaldulenfis Ordinis Latino, eoque terfo, nitido, & eleganti fcribendi genere adornarit. Qua vero ratione adductus fuerit, ut animum ad illam literis confignandam adjunxerit, ipfe nos, Capite I. his verbis docet: „ Sacræ „ Eremi Ordinifque Camaldulenfis antiqua „ familia licet in celfo Apennino in ea „ Hetruriæ regione, quæ Falterona dicitur, fata longe lateque propagaverit; „ attamen magis aliis quam fibi tot annorum curriculis nota fuiffe videtur. „ Siquidem non folum ex Italiæ univerfæ, „ Galliæ, Hifpaniæ, Germaniæ, Pannoniæ, Illyrii, ac divifæ orbe Britanniæ „ finibus nunquam defuerunt, qui ab incunabulis ejufdem celeberrimæ religionis „ fama ac nomine impulfi facram Eremum „ adire, ac inibi, veluti in domo quadam cœlefti, caduca mundi frequenter „ repudiantes in facra militia Domino Jefu Chrifto, quam mundo militare maluerint. Sed omnes fere Reges, Principes, ac Pontifices ejufdem amplificationi dignitatique confulentes, eam fummis omnibus gratiis, exemptionibus, ac „ Privilegiis honeftavere. Verumtamen neque ipfa facra Eremus, neque omnis „ ipfius per Hefperiam aucta foboles, „ quænam ejus miranda exordia principio „ extiterint, aut fubinde incrementa: nec „ qui clariffimi viri fanctimonia, ac fumma virtute præditi Ordinem mirifice illuftraverint, ad hanc diem cognofcere „ potuit. Ufque adeo nemo omnium inventus eft, qui ad rerum Camaldulenfium geftarum confcriptionem animum „ appulerit. Id illi nuper plurimum admirati, qui apud me magnopere auctoritate valent; nefcio qua fiducia imbecillis meis viribus freti, me quafi Ifthmum „ fodere, fplendoremque Camaldulenfis Religionis e tenebris eruere jufferunt. Qui „ revera pro paupertate ingenii, ufque, „ & exercitatione omnium minimus in quemvis alium id oneris rejiciebam. Porro „ quia fidem fallere, fimul inter religiofas perfonas obedientiæ facramentum violare nefas eft: ficut jugum ex humeris „ excutere nequivi, ita Dei fretus auxilio opus aggreffus, omnes qui hanc „ confcriptionem legerint, rogatos effe cupio, ut id non arrogantiæ, fed debitæ „ meæ erga focietatem noftram pietati, „ atque charitati adfcribere velint.„

Hæc *Auguftinus*, quibus caufam reddit, qua ratione impulfus ad fcribendam Hiftoriam accefferit; ejus vero in duo volumina divifionem hanc inftituit. Alterum ædificationem tam facræ ipfius Eremi ac Camalduli Cœnobii, quam facri loci univerfique Ordinis amplificationem, cum vitis Antiftitum Generalium, aliorumque Illuftrium, ac fanctorum Eremitarum, & Monachorum, & quidquid vel pro facra Eremo, vel pro corpore Congregationis memoria dignum ad hanc diem geftum eft, tribus libris continet. Alterum a magis principalium reliquorum Monafteriorum exordiis, quibus donationibus, Privilegiis, Antiftitibus, ac celebrioribus viris unumquodque pro tempore emicuerit; gradatim per Capitula uniformi ferie narrationem con-

contexit. Prodiit igitur Volumen I. sub hac Epigraphe:

HISTORIARUM CAMALDULENSIUM LIBRI TRES, *Ubi aliarum quoque Religionum Militiarumque vera inserta est suis locis origo; in fine vero Ambrosii Generalis, & interpretis Graci eximii habetur Vita, in qua de adventu Eugenii IV. Papa Pisas, & Florentiam: de Concilio Basilea, & Florentino: de renatis literarum studiis: de facta reparatione deperditorum antiquitatis Voluminum Cosmi Medicei senioris opera, describuntur multa, qua hactenus in lucem non prodierant. Augustino Florentino Monacho Camaldulense Auctore. Cum privilegio. Florentia ex Bibliotheca Sermartelliana* 1575. *in* 4.

Alterum Volumen Venetiis quatuor post annis 1579. lucem publicam aspexit hoc titulo:

HISTORIARUM CAMALDULENSIUM PARS POSTERIOR. *Ubi ab origine Templi, atque Cœnobii Classis, & Sanctissimi Patris Romualdi conversione describuntur reliquorum Monasteriorum exordia, & incrementa: Privilegia & Monachi sanctitate, dignitate, vel doctrina præstantes. Item habetur vita Beati Petri Damiani, Cardinalis Ostiensis, cum aliis multis, quæ antiquitatem illustrant & ostendunt. Augustino Monacho Angelorum auctore. Venetiis ex Typographia Guerræ an. MDLXXIX.*

Primam Historiarum Partem Francisco Medici, Magno Hetruriæ Duci Serenissimo nuncupavit, utpote Domino loci præcipuo ac singulari, ubi sacra Camalduli Eremus sita est, quæ totius Ordinis caput extat. Alteram Partem Ptolomæo Gallio S. R. E. Cardinali Comensi, Archiepiscopo Sipontino, atque Camaldulensis Ordinis Protectori nuncupavit, ut quantum oritur dignitatis atque amplitudinis Familiæ Camaldulensi ab Hetruria, tantundem addatur singulis locis ex singulari protectione Cardinalis.

Edmundus Martene, e Congregatione S. Mauri percelebris Scriptor, *Augustinum* nostrum Historicum vocat *satis accuratum*; quam tamen laudem ei non æque tribuit Guido de Grandis Dissertatione III. Camaldulensi, Cap. III. num. 5. pag. 81. cujus verba sunt: „ Hujus certe Scriptoris celeberrimi studio, ac labori nos plurimum „ debere, nemo ibit inficias, qui animo „ comprehenderit, quanta Camaldulensium „ Virorum egregia facinora, quot locorum nostrorum præclara monumenta in „ lucem eduxerit, quæ adhuc in tenebris „ neglecta jacerent, vel (ut plerisque ad „ eam diem contigerat) situ, & squallore „ obruta periissent, nisi Fortunii cura, & „ sollicitudo majoris jacturæ cumulum, „ sua industria, prævenisset. Et quidem „ tam multiplici eruditione, tam præclaro „ ingenio, tamque insigni eloquentia hanc „ provinciam est executus, ut si parem diligentiam, ac soliditatem his conjunxisset, nec diserti modo, sed accurati etiam Scriptoris laudem affectasset, nihil „ plane ad antiquitatis Camaldulensis illustrationem desiderandum nobis reliquisset. Verum Ordinis ipsius primordia „ non e suo fonte deducta, plurima scitu „ digna in his prætermissa palmares anachronismi frequentissime occorrentes, perfectioris historiæ votum excitant, cui „ utinam præsentes Dissertationes, apparatus, & prodromi loco, prolonderent. „

Ne vero *Grandus* laudatissimi Scriptoris manibus insultare videatur, plura diligentiæ parum accuratæ specimina citato capite profert. In Dissertatione Prima Camaldulensi, cap. 5. n. IV. *Fortunium* novæ opinionis architectum & fabricatorem, sed parum felicem, vocat, „ quam vel primus „ proposuit, vel certe inter primos vulgavit, eamque ex ipso Ractius noster, ac „ cæteri demum exteri Scriptores, quasi „ indubiam Ordinis nostri Traditionem a „ Primario ejus Historico productam, nullo adhibito examine, passim excepere, „ ut jam vulgo communior habeatur; docet autem post annum Christi millesimum, (nempe quibusdam circa annum „ Domini 1008. plerisque vero passim ad „ annum 1012. id factum fuisse opinantibus) Romualdum in altissimis Apennini „ jugis, quibus Ethruria ab Æmilia secernitur, eo ipso in loco, ubi nunc sacratissima Camalduli Eremus visitur, „ prima sui Ordinis fundamenta jecisse, „ ob admirabilem Scalæ visionem ipsi (ut „ tradunt) per somnum objectam, per „ quam albescentes monachi ascendere videbantur, onde occasionem a sanctissimo „ Viro sumptam fuisse sibi persuaserit, „ candido schemate se, ac suos deinceps „ discipulos, nigris abjectis cucullis, quibus eatenus usos fuisse supponunt, induendi, eundemque colorem ad posteros „ suos, præcipuæ hæreditatis nomine, „ transmittendi, qualem hodiedum retinemus, & in omni vestium genere summa religione se conservare fatentur, „ quotquot tam in solitudinibus, quam „ in cœnobiis, Camaldulensis Nominis appellatione gloriantur. „

Apo-

Apologia Augustini Florentini pro libris suis Historiarum Camaldulensium, typis mandata anno 1592. scripta est contra Lucam Eremitam Montis Coronæ qui cum Fortunii narrationem habitus Camaldulensis ex nigro in candidum, ob visionem scalæ S. Romualdo in somnis objectam, inter fabulas lib.1. cap. 12. & lib. 5. cap. 1. recensuisset, ille contra hunc, quamquam septemdecim primum post annos, Apologiam adornavit, sed quæ non omnibus satisfecit; certe Guido de Grandis Differt. 1. Camald. cap. IV. num. V. p. 111. illam nauci faciens, *Fortunius*, inquit, *ubi assertionis suæ fundamenta, si quæ ipsi suppetiissent, fuerant producenda, nil nisi frivolum & insubsistens in medium adduxit*.

Conscripsit etiam *Augustinus*, ante Historiam rerum Camaldulensium, ex plurimis, ac antiquissimis monumentis satis polito eloquio Latino vitam & miracula Sanctorum Christi Confessorum *Justi & Clementis*, ad amplissimum Volaterranum magistratum, & præfationis initium est: *Falso queritur de divina dispensatione*. Annum & locum editionis silentio prætermisit Michael Pocciantius in Catalogo Scriptorum Florentinorum pag. 7. & qui illum allegat Ant. Possevinus Appar. Part. 1. p. 145.

Vitam præterea *S. P. Romualdi* a B. Petro Damiani Latine scriptam Italice vertit, ac Notationibus illustravit; quam deinde Silvanus Razzius, Abbas Camaldulensis recognovit. Edita fuit Florentiæ apud Juntas an. 1586. in 8. Vid. Bolland. in Comment. præv. ad vitam S. Romualdi §. 1. Febr. tom. 2. p. 101. col. 2.

Opusculum Translationis Reliquiarum S. Romualdi edidit anno 1561. ut ipse nos docet Hist. Camald. part. 2. c. 22. p. 45.

Cronichetta del Monte-San-Savino di Toscana. Id est: *Parva Chronica Montis-Sancti-Savini in Tuscia. Florentiæ* 1585. *in* 4. Præter Pocciantium & Possevinum loc. cit. meminerunt *Augustini Fortunii* Arnoldus VVion in Ligno Vitæ Lib. I. cap. XXVIII. & in Addendis ad Scriptores Ord. Camald. Guido de Grandis in omnibus suis IV. Dissertationibus Camald. Philippus Maria Macchiarelli in Vita S. Romualdi l. 8. c. 3. p. 222. Fortunium etsi non nominet, non sine nota tamen censoria illum abire sinit. *Un nostro Autore, che compilò di presso la metà del secolo XVI. certa sua opera, più tosto a modo di meditazione, che di historia*. i. e. *Nostrorum Scriptorum non nemo sub medium fere seculi XVI. quædam sua opera edidit, quæ propius ad methodum meditationis, quam historiæ accedunt*.

XV.

AURELIUS ANTONELLIUS.

Aurelius Antonellius Pisaurensis Abbas Camaldulensis. Ejus nomen mihi occurrit apud Guidonem de Grandis Differt. III. Camald. cap. 2. n. 5. p. 15. ubi hæc habet: *Aurelius Antonellius e nostris facete scripsit, candidum* (Camaldulensium) *cucullum e cælo fuisse delapsum*.

Multa Antonellii MSS. in Bibliotheca Classensi asservantur, eaque sunt:

In tres Hymnos pro Festo S. P. Romualdi excursiones ad Petrum Franciscum Ab. Generalem.

Sanctissimæ Deiparæ Rosarii Meditationes.

In Canticum Canticorum Salomonis brevis ac dilucida explicatio, *non est absoluta*.

Carmina extemporanea.

Jul. Cæsaris Scaligeri Epidorpide ad Heroici Carminis metrum trad. Lib. VI.

Hippolito, Tragedia di Lucio Anneo Seneca in Lingua e Rima Toscana trasportata cum annotationibus.

Satyrarum Lib. I.

De eo Crescimbenius in Historia vulgaris Poesis Tom. V.

XVI.

BARTHOLOMÆUS FABAGROSSA.

Bartholomæus e nobili Cremonensi familia Fabagrossa, Monachus Camaldulensis, temporibus Dominici Agacii, ejusdem Patriæ (Cremonæ) & Instituti Abbatis, & Generalis Visitatoris, Romæ degens, virtute & monastica observantia conspicuus claruit. Extat ejus elegans MSS. laudatum a Petro Canneto in Bibliotheca Camaldulensi, inscriptum:

Elucubratio de Reverentia S. R. E. Cardinalium erga Rom. Pontificem, Christi Vicarium, ad Cardinalem Comensem, Ordinis Protectorem.

Servatur in Bibliotheca S. Gregorii de Urbe, Scamno I. K. L. M. ut fidem facit Guido Grandus apud Franciscum Arisium Cremonæ Literatæ tom. 2. p. 405.

XVII.

BASILIUS VIENNENSIS.

Basilius, Austriacus, Viennensis, qua literis elegantioribus, qua gravioribus studiis, patria in urbe egregie institutus,

tus, Sacerdos sæcularis ante fuit, quam se in celeberrimam Eremum S. Josephi in Monte Cæcio supra Viennam recepit. Ut cultum S. P. Romualdi quanta maxima industria posset, apud Austriacos, atque adeo universos proveheret Germanos, vitam ejusdem Divi a B. Petro Damiano Latine scriptam in patrium transtulit idioma. Quo autem majorem ei gratiam conciliaret, iconismos non inelegantes ære incisos, eidem inseruit, quorum varierate non oculos modo pascere, sed res etiam admirandas a S. Romualdo cum in eremis ac desertis, tum in luce totius Italiæ, atque aula Imperatoris summa cum gravitate, prudentia, omniumque virtutum laude gestas quasi oculis cernere licet. Iconismis major adhuc lepos a Latinis accessit versibus, qui non invita fuli Minerva tanquam alteri colores rem exprimunt, atque oculis subjiciunt. Quos ipsos versus eadem facilitate, concinnitate, & elegantia Germanice redditos singulis præmisit Capitibus, quorum duo sunt supra septuaginta. Post Vitam S. Romualdi, quæ Operis Pars I. est, sequitur Pars II. qua Descriptio Translationis sacri Corporis Æsium ac Fabrianum octo capitibus continetur, quibus totidem Iconismi præfiguntur, & his versus iterum Latini ac Germanici subnectuntur. Tertia Pars nonnullas Devotionis Scintillas erga S. Patriarcham & Abbatem Romualdum complectitur, vid. Parvum Officium ex Latino Germanice translatum, Hymnos, Orationes, & Litaniam. Accedit Appendix duplicis Devotionis ad S. Romualdum, altera per decem Ferias IV. altera per sex Ferias II. instituendæ. Universi Opetis in 8. typis exculi titulus est:

VITA & ACTA SS. Patris & Patriarchæ ROMUALDI Fundatoris C. mald. Latino idiomate a B. Petro Damiani ejusdem Discipulo composita: nunc vero in Germanicam linguam versa, mysteriosæ per visionem Scalæ: ejus vitæ, translationis: ac quarumdam devotionis Scintillarum additione aucta, nec non Germanicis ac Latinis versibus exornata a quodam in Eremitorio S. Josephi prope Viennam professo Eremita & Sacerdote. Anno Salutis reparatæ MDCCXXIII. Viennæ ex Typographia Mariæ Theresiæ Voigtin, Viduæ.

Vitam Eremiticam Cl. P. *Basilius* hodie agit in Hungariæ (Eremitæ namque Montis Coronæ ad nutum Superioris locum habitationis mutant) Eremo, cui nomen *Rubrum Claustrum*, Comitatus Scepusiensis. Hic Vitas Sanctorum Camaldulensium a se conscriptas ad limam revocare dicitur. Deus pios, & eruditos felicitet labores.

XVIII.

BASILIUS BALNENSIS.

BAsilius ex Balnei oppido in Hetrutia oriundus, licet militiæ natus esset, pietati tamen ac literarum studiis in Ordine Camaldulensi non segniter operam dare cœpit. Cum gratia & auctoritate apud *Petrum Delphinum* Ordinis Generalem plurimum valeret, Abbas S. Fælicis in platea Florentiæ (quod cœnobium in numero XVII. principalium locorum comprehendebatur) constitutus fuit. Hac dignitate potitus arma pro libertate Florentinorum gessit, a quibus in Ducem electus Venetorum copias fudit. Porro Basilius cum exercitu Florentiam urbem ingressus, tanto Civitatis plausu, Petro Delphino teste, exceptus est, ut resonarent undique confluentium populorum voces, salvatorem ac propugnatorem Patriæ esse missum. Illud etiam de Abbate Basilio per universam Italiam prædicatum est, neminem unquam majori cum fama de Sacra Eremo Camaldulensi contra hostes defensa meritum fuisse. Hæc vero fortiter a se gesta ipse sua manu literarum monimentis consignavit; quæ se Augustinus Florentinus evolvisse testatur, ut cui in bellica *Basilii* expeditione describenda præcipuum usum præstiterunt. Concessit fato Abbas *Basilius* senex, & plenus dierum, utpote LXXXII. agens annum die 22. Decemb. 1542. Fuit procera statura, grandi, vegetoque corpore, magnisque viribus: subitus in iram: magnanimus, gloriæ cupidus: oculis minacibus: prominentiore labro inferiore: naso aquilino: sed summa humanitate, ac modestia præditus, sepultus ad S. Felicis in platea. Vid. laudatum Aug. Flor. Hist. Camald. lib. 3. cap. 7. p. 273. & seqq.

XIX.

BENEDICTUS PUCCIUS.

BEnedictus Puccius Romanus magno, sublimi, atque prorsus excellenti præditus fuit ingenio. Hic puerulus Ferrariæ ad humanitatem institutus, miros in omnibus illis disciplinis, quibus prima illa ætas informari solet, fecit profectus, quas subinde in ipso adhuc ineuntis ætatis flore summa cum laude docuit. Ejus sermoni, seu Italice seu Latine verba faceret, in-

cte.

credibilis inerat nitor, elegantia, atque venuftas. Non diffimile erat, quo utebatur, fcribendi genus, in quod pariter omnes amænitates, flores, ac Veneres confluxiffe videbantur. Præcipue in fcribendis epiftolis omnium eorum, qui per id tempus hac in arte aliquod habebant nomen, gloriam ac laudem, quadrigis, ut dicitur, albis anteceffit. Cujus rei fama commotus *Ludovicus Eftenfis*, S. R. E. Cardinalis, ac fummæ prudentiæ Princeps *Puccium* fibi a fecretis effe epiftolis voluit. Quo munere annos octo fupra decem ita functus eft, ut partes omnes primarii in aula Secretarii expleverit. Quamobrem apud Purpuratum Patrem magno erat in amore, gratia, & honore. Sed cum præterea chriftianæ pietatis apprime effet ftudiofus, factum eft, ut ipfum inter, & vitam aulicam haud diutius conveniret. Ægre dimiffus ad Monachos tranfiit Camaldulenfes, inter quos fuum etiam nomen, nuncupatis pubblica ac folemni religione votis profeffus eft.

Poft facram profeffionem nihil majori habuit curæ, quam ut quæ Deo pollicitus fuerat, reipfa exequeretur. Etfi vero vitam ita tranfigeret, ut omnibus exemplo effe poffet, vitio tamen ei ab æmulis datum fuit, quod ad excolenda politiorum literarum ftudia plus æquo incumberet. Quæ calumnia apud Cardinalem, Ordinis Protectorem, ipfi non minimo fuit incommodo. Sed tandem obtrectatorum invidiam *Puccii* innocentia, aliquamdiu divino permiffu preffa, non vero oppreffa, fed quavis æmulatione fuperior obtrivit, ipfeque priftinum gratiæ locum cum apud Cardinalem, tum apud Ordinis fui Superiores recuperavit. Edidit adhuc, quod fciam Cardinalis Eftenfis Secretarius.

L' Idea delle lettere ufate nella Segretaria de' Principi; id eft: *Idea epiftolarum, quæ ufitati funt ftyli in Cancellariis Principum*. Opus perfectum, numeris fuis abfolutum, plenumque epiftolaris venuftatis, atque politicæ prudentiæ. Quotquot ex prudentiffimis hujus Ideæ præceptis epiftolas fcripferunt, omne tulerunt punctum, tefte Hieronymo Ghilino *Teatro d' uomini Letterati vol. 1. p.* 29. cujus fui Theatri *Puccium* effe ingens decus ac ornamentum uti affeverat, ita quo anno & loco *Idea* typis fuerit defcripta, non exprimit.

Alterum *Puccii* Opus eft

Collectio fententiarum ex Tacito, quæ anno 1621. Venetiis in 4. excufa fuit.

Plura forfan fcripfit *Puccius*, quæ ad meam tamen notitiam non pervenerunt. Virum fuiffe multarum virtutum condecoratum ornamentis, vel illud folum argumento eft, quod morfibus invidiæ patuerit, quæ furia mordacem fuum dentem non nifi viris præftantibus infigere confuevit.

XX.

BENEDICTUS BUFFI.

Benedictus Buffi Eugubinus præcipuum ftudium contulit in Joannis Caffiani Opera de *Inftitutis Cœnobiorum* ex Latino in Italicum convertenda fermonem. Quæ Verfio prodiit Venetiis ex typographia Mich. Tramezini anno 1563. in 4.

XXI.

BENEDICTUS LOCATELLUS.

Benedictus Locatellus Venetiis ortus, in fuburbano Monafterio S. Michaelis monaftico fchemmate indutus anno 1707. die 14. Junii, Ravennæ primum in Abbatia Claffenfi, dein Romæ in altera Divi Gregorii Magni Philofophiæ & Theologiæ ftudiis operam dedit. Mox earumdem fcientiarum Profeffor adlectus, eas Venetiis in fuæ Congregationis Monafteriis pluribus annis edocuit. Anno 1735. ad Abbatiales infulas evectus fuit; & per fexennium Monafterium SS. Cofmæ & Damiani Bononiæ adminiftravit, indeque alterum SS. Viti & Luciæ prope Vicetiam, quo gubernante, cum Venetias pro jure Monafterii fui defendendo fe contuliffet, ex itinere contracto morbo diem fupremum immatura morte oppetiit anno 1742. 28. Februarii ætatis fuæ anno quinquagefimo fecundo. A florefcente ætate politioribus literis plurimum delectabatur & præcipue Italica Poefi; ideoque poft ejus deceffum amplum repertum fuit volumen propria ejus manu confcriptum, in quo Poemata & Carmina multa Italica elegantiori ftylo concinnata leguntur. Adfervatur modo Autographus Codex in Bibliotheca S. Michaelis. Verum plura ejufdem Poemata lucem adfpexerunt, quæ memorantur in Bibliotheca Cinelliana Venetæ editionis a P. Calogierà adaucta; uti

Cantata d'Enagio Pellanio M. C. *Paftor Arcade ragunandofi la Colonia Arcade de' Monaci Camaldolefi nella Chiefa di S. Michele di Murano in occafione di celebrarfi con triduo folenne il fettimo anno fecolare della preziofiffima morte del loro Patriarca S. Romoaldo*

Aba-

Abate, che cade alli 19. Giugno.

Rime per la Monacazione dell' Illustrissima Signora Anna Mufitelli. Venezia 1727.

Rime per la Monacazione delle due Sorelle Pezzana. Ibidem.

Ecloga Pastorale, in cui si adombra sotto il nome di Lindalo il P. D. Girolamo Lini &c. Venezia 1715. in 4. presso Jacopo Tommasini.

Extat *Poema Italicum* in mortem Camilli Boccaferrii Senatoris Bononiensis in collectione cui titulus: *Raunanza de' Pastori Arcadi della Colonia Renia in morte di Sandisto Erafiniano loro Sotto-Custode. Bologna 1736. in* 8. Laudatur hujusmodi Poema in Ephæmerid. Literariis Veoetis ejusdem anni 1736. pag. 400. Ut & ibidem in tomo an. 1742. pag. 112. plurimum Locatellius commendatur hisce verbis: *In ogni genere di Poesia egli si è reso assai chiaro, contando le stampe più componimenti di lui dispersi in varie Raccolte, i quali uniti insieme potrebbon fare un conveniente volume.* Hujusce Auctoris meminit Anselmus Costadonius ex sorore nepos in Vita Romani Merighii Tom. XXVI. pag. 141. Opuscul. Philologic.

XXII.

BERNARDINUS GADOLUS.

Bernardinus Gadolus, Brixiæ, nobili urbe, vitales in auras elatus est. Erat eminentissimo ingenio præditus, & in omnium bonarum artium studiis consumatissimus. Is a teneris annis Latinis Græcisque literis apprime imbutus, mox Mathematica & Astrologica insectabatur studia. Veniensque ad Templum sancti Michaelis Muriani, captus ibi decore domus Dei & Monachorum religione delectatus, ad Sanctæ Conversationis certamina, calcato seculo, parentibusque abdicatis, sine mora transmigravit: tradiditque illi habitum Petrus Delphinus tunc Abbas, cum vix 18. attigisset annum. A quo doctor ac præceptor juventuti datus, postea Prior claustralis factus est, deinde Generalis Visitator Congregationis; & ultimo loco Prior Angelorum Florentiæ, ut ante dictum est, in quo quidem magistratu difficile dictu est, quantum reverentiæ & honoris apud bonos, doctosque viros sibi comparaverit. Sed cum vix annum præfuisset, stomachi debilitate absumptus, quievit in Domino 22. Aprilis 1491. ætatis annorum 36. Quem luxit omnis familia & tota civitas; sed amarissime, præter omnes, Petrus Delphinus Generalis: qui nimirum inter multas querelas, suis in Epistolis hæc studio inani jactabat verba: *Macte, Bernardine fili, qui tot ingenii dotibus præditus bonum certamen certasti: cursum consumasti. Dolco super me, quem reliquisti superstitem, cum deficere incœperit virtus mea. Super Congregationem Camaldulensem dolco; cui quantum ex tua eruditione, & probitate dignitatis, atque ornamenti accesserat: tantundem modo tua morte amisit.* Exagitabatur ejus jactura venerabilis senex, quia Bernardinus utile vas in omnibus fuit, ubicumque Congregatio præstantis, ac sciti viri industria usquequaque indiguit. Uti evenit in negotio Carcerum, quando insigne illud Cœnobium Congregationi copulatum est; cujus rei gratia Bernardinus, qui rem tractavit, multos labores obivit. Uti evenit in negotio Classis, ut ex manibus Commendatariorum eximeretur; quippe utrobique non solum interfuit, sed præfuit, & rem confici procuravit. Ut fuit in Cœnobio Angelorum; ubi tumultus, perturbationesque omnes, quæ ortæ fuerant in ejectione Guidonis Cisterciensis Monachi, prudentissimus quasi in momento superveniens sedavit. Ibi autem defunctus, reliquit ex suo marte edita Volumina, quæ sic inscribuntur:

Commentaria super libros Testamenti Veteris.

Tractatus de modo servando pro fugiendo seculum, & sacram Religionem amplectendo.

Librum unum contra superbiam & ambitionem.

Epistolæ.

Quæ omnia extant MSS. in Bibliotheca S. Michaelis Muriani.

Opera omnia S. Hieronymi in ordinem redacta. Pro ratione ejus temporis, quo nondum tanta rerum ante actarum claritas illuxerat, quanta extitit hoc seculo ex collisione tot hæresum cum Catholica religione.

Reformavit Kalendarium Ordinis, apponens aureo numero, quota hora singulis mensibus cadat Novilunium; quod superioribus annis Pius Quintus Pont. Opt. Max. qooqoe confideravisse ex Kalendario a sese innovato perspicuum est. Ad hæc addidit, quæ ad dierum, vel noctium varietatem, vel ad Solstitia, vel Æqoinoctia spectant. Item quæ ingressum Solis in Zodiaci signa respiciunt, juxta Astrologicam rationem pulchre suo adscripsit loco; sicut ipse quoque ex Epistola sua ibi insinuat. Adeo ut mirum nobis non videatur, quod F. Jacobus Philippus in suo Chronicorum Supplemento, hæc dixerit de Bernardino verba: Si (inquit) omnes prisci disertissimi viri ab

inferis excitarentur, haud vix *Bernardinum Gadolum*, Monachum Camaldulensem superare possent.

Hæc ex Augustini Florentini Hist. Camald. part. 2. lib. 4. c. 23. p. 193. qui in recensione tamen Operum *Gadoli* silentio prætermisit singulare *Opusculum de Origine & successu Ordinis Camaldulensis ad Jacobum Philippum Bergomatem*, quod in laudata Bibliotheca S. Michaelis MS. asservatur, teste Guidone Grando in Differt. I. Camald. c. 1. n. 3. p. 3. & in quo asserit, quod *Ordo Camaldulensis circa annum Dominicæ Repromissionis nongentesimum quinquagesimum initium sumpsit*. Differtatione III. c. 4. n. 13. *Gadolum* Virum sui seculi longe doctissimum vocat, qui in libro de Origine & successu Ordinis Camaldulensis, licet albi coloris, quo passim Camaldulenses utuntur, causas inquirens, & quamvis inter alias, quas conjectando congerit, & hanc proponat de Scalæ Monachorum albescentium visione, ipsam nihilominus ad Maldulum dumtaxat refert, non ad S. Romualdum, uti oportuerat, si tempore illo S. Romualdi æque, ac Malduli visio recepta fuisset.

Gadoli Scripta etiam recenset Arnoldus VVion in Ligno Vitæ lib. 1. c. 28. illumque vocat Virum non minoris sanctitatis, quam doctrinæ; quæ verba de eo repetiit Ant. Possevinus Appar. Sac. part. 1. p. 222.

XXIII.

BONAVENTURA FANENSIS.

Bonaventura *de Fano* a S. P. Romualdo trigesimus secundus sacræ Eremi Prior, & Ordinis totius Generalis, anno 1315. sextodec. Kal. Aug. electus cum esset Prior Sancti Damiani Bononiæ, tres & triginta præfuit annos. Quo longo tempore multum amplificationi Ordinis, ejusque dignitati summa pietate ac prudentia incubuit. Fuit staturæ prægrandis, jucundæ conversationis, magnæ gravitatis, & multæ doctrinæ. Anno 1323. ut Guido Grandus habet Differt. Camald. 3. n. 13. p. 39. non vero anno 1333. ut Augustinus Florentinus scribit, cum Comitia generalia Bononiæ haberentur; ibi quædam declarationes, ac censuræ ad Constitutiones antecessorum ab ipso factæ sunt unico libello comprehensæ, ut tempori inserviret, & tam stabilitati Eremitarum, quam Monachorum & Sanctimonialium congruentius prospiceret. Excessit e vita Bonaventura Generalis 8. Id. Junii an. 1348. cum patribus annumeratus. Vid. Aug. Flor. lib. 2. c. 56. p. 223. & c. 8. p. 229.

Lucas Hispanus Erem. Hist. lib. 1. c. 14. p. 42. de *Bonaventura* hæc habet: „ Prædecessorum suorum omnium scriptas institutiones ad quintum usque librum non „ incongrue dilatavit.

XIV.

BONIFACIUS COLLINA.

Bonifacius *Collina*, Bononiæ, bonarum artium studiis celeberrima civitate, pietati simul, ac bonis literis eam navavit operam, cujus eum neutiquam pœniteret. Sed rerum pertæsus caducarum in Ordinem Camaldulensem in Monasterio Classensi concessit; quo tempore *Petrus Canneti* ad ejus sedebat clavum. Sub hoc Abbate literis politioribus excultissimo, earum disciplinæ Classensi in Cœnobio ita florebant, ut non alias magis. *Collina* imbutus vitæ monasticæ, virtutumque documentis, ad illarum studia se retulit. Ex hinc vero Poeticen, quam diligentius excoleret, cœteris præhabuit. Cum vero varia carmina variis temporibus in lucem emisisset, ea in unum collecta corpus praelo iterum subjecit sub Pastoritio nomine *Ormanti Saurici*, Pastoris ex Arcadia Camaldulensi. Excudit Opus Tomis II. in 8. Bononiæ Constantinus Pisarrus anno 1745. sub hac epigraphe: *Rime di Ormanto Saurico Pastor Arcade all' Eccelso Senato di Bologna*.

Le Opere di Torquato Tasso raccolte per Giuseppe Mauro, Volume primo in 4. Venezia 1722. per Carlo Buonarrigo. Præparam hanc Collectionem molesta diuturnaque impeditus valetudine P. Collina persequi non valuit, sed alio Auctore facta fuit typis Stephani Monti an. 1735. Volum. XII. in 4. Venetiis.

Orazione per l'innalzamento al Sommo Pontificato di N. S. Benedetto XIV. per l'Accademia degli Inestricati. Bologna per Costantino Pisarri 1740. *in* 8.

Ex Gallico idiomate transtulit, ediditque an. 1724. *La Morte di Cesare Tragedia di Mademoiselle Barbier*. anno 1741. *Il Polieuto Tragedia di Pietro Cornelio*. anno 1743. *L'Ester Tragedia del Racine*, & *l'Attalia* ejusdem, typis Pisarri in 8.

Vita di S. Bruno-Bonifazio Camaldolese, Discep. di San Romualdo, Arcivescovo delle Genti, Apostolo della Russia e Martire. Bologna pel Pisarri. 1746. *in* 8. ad calcem extat *Orazione Panegirica sopra il medesimo*.

Vita

Vita di S. Bononio Abate, Discepolo di S. Romualdo, Monaco Camaldolese ed Apostolo dell'Egitto. Bologna 1747. *pel Pisarri.*

Vita di San Romualdo Fondatore della Religione Camaldolese Parte I. & II. Bologna 1748. *pel Pisarri in* 8. Opus hoc duobus comprehensum voluminibus maxima refertum est eruditione. Pars prima Vitam S. Romualdi amplectitur; altera Dissertationes, nempe *De familia S. Romualdi; De S. Petro Urseolo, ex Venetorum Duce, Discipulo S. Romualdi; De S. Romualdi aetate*, in quo CXX. annorum aetatem D. Romualdi eruditiori calamo propugnat, & duabus antiquissimis Chartis Ecclesiae Ravennatis recens adinventis ad perspicuitatem usque rem ferme demonstrat; & *de Ortu Camaldulensis Religionis.*

Alia prae manibus habet vir eruditissimus, quem Deus incolumem servet, ut ea conficere & in lucem proferre pro literarum bono, & suae Religionis splendore queat. In patrio Bononiensi Archigymnasio multis ab hinc annis Philosophiam edocuit, hodieque, quod sciam, docet. De eo, ejusque operibus magna cum laude in Novellis Literariis Florentinis & Venetis, & in Diario Italico Cl. V. Apostoli Zeni pluries sermo fuit.

XXV.

CYPRIANUS ARTUSINUS.

Cyprianus Artusinus Ravennas in patrio Classensi Coenobio sacrae militiae adscriptus Mathematicus sui temporis non vulgaris evasit, & operam suam Urbano VIII. ac Innocentio X. praestitit, & novis Urbis moenibus condendis praefuit. Abbas Innocentii X. litteris in forma Brevis factus obiit in Monasterio S. Crucis de Saxoferrato anno 1654. scripsit.

I. De ratione Novilunii inveniendi.

II. Ephemeridem perpetuam, quae impressa utrum sit ignoramus, facultatem vero imprimendi ei datam fuisse non ignoramus.

III. De Architectura Militari & Domestica. Hic liber passim adducitur ab Innocentio Matthaejo.

De Artusino cum laude Hieron. Fabrus Monum. Sac. Ravenn. Pasolinus *Lustri Ravennati* parte VI. Innocentius Matthaejus in Architectura Militari.

XXVI.

CLEMENS ORIOLI.

Clemens Orioli, Major Generalis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, Opusculum S. Joannis Damasceni Graece scriptum, quod *Paracletica in Sanctissimam Deiparam Virginem MARIAM* inscribitur, a P. Ludovico Maraccio, e Congregatione Clericorum Regularium, primum Latinitati donatum, denuo typis Jo. Baptistae Conzatti Patavii MDCCXLIII. excudi curavit in 12. Praefationem Editoris ad Lectorem, Beatissimae Virginis Cultorem, excipit Vita S. Joannis Damasceni quam per compendium proponit. Interpretatio autem Graecarum vocum indubio est argumento, Reverend. Majorem Generalem Graecae linguae haud esse imperitum.

XXVII.

DEMETRIUS SCARANUS.

Demetrius Scaranus Constantinopolitanus Camaldulini Florentini Monachus aetatem in libris non quidem proprio marte componendis, sed indefessa diligentia transcribendis in seram usque senectutem piissime contrivit. Ejus Ambrosius Ordinis Generalis suis in epistolis semel, iterum, ac tertium meminit. Sic Lib. 17. ep. 11. ad Franciscum Barbarum data: *Erunt apud me ipsae epistolae* (S. Basilii) *quamdiu ipse jusseris, vel rescribendae, si per Demetrii nostri occupationes licitum fuerit, vel perlegendae.* Et epist. 17. ad eundem: *Scribebat tunc noster optimus Demetrius Philostratum de vita Apollonii, cum jam ante Nicandrum & Diogenem Laertium scripsisset.* Eadem epistola: *Senior pater, Demetrius senex, Hieronymusque frater tibi salutem dicunt.*

Etsi igitur *Demetrius* nihil proprio scripsisse marte legatur, locum tamen inter Scriptores Camaldulenses sortiri meretur, ob eam causam, quod, *Ambrosii Camaldulensis* scripta ut ad posteros transmitterentur, eorum transcriptione multum diuque fuerit occupatus. Ex Antiquariis fuit *Demetrius*, qui uti Auctoribus decedunt, ita in secundis tertiisque consistere posse sibi decorum esse existimant.

XXVIII.

B. EUSEBIUS HISPANUS.

B. Eusebius Hispanus, Monachus S. Michaelis de Muriano, eruditione ac doctrina in paucis inter Camaldulenses excelluit. Immaturam ejus mortem *Petrus Delphinus* Ordinis Generalis in epistola ad Jacobum Monachum S. Michaelis Muriani his verbis deflevit: „ Obitum *Eusebii* Monachi molestissime tuli. Nam cum præstaret ingenio, & doctrina quantum paucissimi, quod ego noverim, nec lateret lucerna ejus sub modio, sed super candelabrum posita luceret omnibus, non tam iis, qui in domo, qui in religione, quam iis, qui in urbe ista erant; haud abs re lugendus videtur, quo defuncto adeo clarum ac perspicuum lumen extinctum est. Sed quando, ut audio, sic transiit, ut optavit, cum eo melius quam nobiscum ob immaturum ejus discessum, actum est. Mensurabiles posuit Dominus dies nostros, & præciditur velut a texente vita hominis. Hoc illius solius est, qui habet potestatem universæ carnis, qui judicat æquitatem, qui constituit omnia in mensura. Denique in pace obdormivit. Vale. Ex monasterio Angelorum die XXVI. Februarii MDII. Hujusce Beati Viri Vitam edidit Fortunius Part. II. p. 195. Hist. Camald. Indeque D. de Blemur in *Anno Benedictino*, & Tamajus in *Martyrologio Hispano*.

XXIX.

EUSEBIUS PRIOLUS.

Eusebius Priolus Patricius Venetus Monachus primum S. Michaelis de Muriano, tum Abbas Monasterii Carcerum, vir scite doctus, *Petri Delphini*, Familiæ Camaldul. Præpositi Generalis anno 1525. vita functi laudes pro funebri concione celebravit. Oratio typis excusa extat Collectionis Amplissimæ veterum Monumentorum ab Edmundo Marthene & Ursino Durand e Congregatione S. Mauri vulgatæ Tomo III. col. 1215 - 1232. sub hac epigraphe: *Eusebii Prioli Veneti Abbatis Carcerum Ordinis Camaldulensis, pro reverendissimo* PETRO DELPHINO *ejusdem Ordinis Generali, ac Sacræ Eremi Priori Oratio funebris*.

Inter *Petri Delphini* Epistolas CCXLII. apud laudatos Marthene & Durand duæ extant, vid. CCXXXVII. & CCXLXI. ad *Eusebium Priolum* scriptæ.

Antonius Possevinus in Apparatu Sacro Part. I. pag. 473. ex Francisco Sansovino commemorat *Eusebii Prioli* De Mundi miseria Librum I. Carmina item Latina anno 1501.

Dignitatem, ad quam evectus, & mortem, qua ex vita extuebatus fuit, Augustinus Florentinus Histor. Camald. part. 2. cap. 27. pag. 198. his verbis describit: „ Per ea tempora (Sec. XVI.) illustravit Cœnobium S. Michaelis, & pariter universum Ordinem *Eusebius Priolus*, nobilitate generis, bonitate & ingenii solertia conspicuus. Qui cum ex Monacho studioso, & docto ad Episcopatus Vegliensis cathedram sublimatus, in reformandis Cleri moribus uti vigilantissimus Pastor incumberet, epoto veneno, sublatus est e medio.

XXX.

FERDINANDUS ROMUALDUS GUICCIOLI.

Ferdinandus Romualdus Guiccioli nobili & antiqua familia Ravennæ ortus, vanitatibus Mundi renuntians sacrum Camaldulensem habitum induit in Monasterio Classensi ejusdem civitatis. Post expletum studiorum curriculum Professor Philosophiæ in eodem Cœnobio factus, Theologiam subinde docuit. Ad Abbatialem postea assumptus dignitatem præfuit Monasterio SS. Hyppoliti & Laurentii Faventiæ, deinde Classensi per decennium, ubi pristino decori insigne Congregationis suæ Monasterium, multis fortiter toleratis, restituit. Delectus in Congregationis suæ Visitatorem anno nedum expleto a SS. D. N. Benedicto PP. XIV. Episcopus Lycopolitanus electus & Ecclesiæ Ravennatis Administrator, eidem Ecclesiæ profuit verbo, operibus, virtutibus. Metropolitanam Ecclesiam a fundamentis a prædecessore suo inceptam ad finem mirabili celeritate produxit, nec ullis pepercit sumptibus, ut ea sicut dignitate cæteris Italiæ Metropolitanis major, ita sit venustate. Quadriennio in hac administratione elapso ad Archiepiscopi & Principis dignitatem evectus civitate plaudente, quæ suum civem tandem in Archiepiscopum post plura sæcula cerneret & talem civem, qui nulli ex antecessoribus cederet. Pauca edidit vir cæteroquin doctissimus muneribus suis rite obeundis semper intentus, eaque sunt

I.

I. De Antiquitate studiorum apud Monachos. Ravennæ. Typis Landi an. 1723.

II. Epistola Pastoralis cum ad Archiepiscopalem Sedem evectus est anno 1745.

Multa itidem edita, & Pastorales Epistolas edidit, omnia a se dictata, quæ zelum episcopalem & scientiam Episcopo dignam referunt.

XXXI.

FRANCISCUS HISPANUS.

FRanciscus, Hispanus, Venerabilis Eremita Camaldulensis, a Marioto Generale ad disciplinam Cœnobii Vallis Castri reformandam missus, sex in eo menses magno austeræ vitæ rigore transegit. Quo tempore miracula, quibus Corpus S. Romualdi an. 1466. integrum repertum, coruscabat, diligentissime ex ore eorum, qui veniebant ad solvendum vota, notavit, & ad ipsum Generalem transmisit, quæ numero novem supra centum literis tradita sunt, de quibus omnibus institutus fuit processus, qui Venetiis in S. Matthiæ Muraniensi Cœnobio asservatur. Vid. Silv. Razzi de Visitatione Reliquiarum S. Romualdi apud Bolland. in Actis SS. tom. 2. Febr. d. 7. p. 140.

XXXII.

FULGENTIUS THOMASELLI.

FUlgentius Thomaselli Athestinus in proxima Abbatia S. Mariæ Carcerum vota Religionis excoluit anno 1587. die 30. Novembris. In Patavina Universitate Doctoris laurea ornatus toto vitæ suæ tempore studiis incubuit, sibique non mediocrem famam conciliavit. Pauca edidit, multa MSS. reliquit, quæ in Bibliotheca S. Michaelis Muriani majori ex parte servantur.

I. De Duplici Homine ad Petrum Bagnolum Balneocaballensem Ordinis Camaldulensis Ab. Generalem Liber in duos Tractatus bipartitus; unus de Homine externo quinque capitibus differit, alter de interno totidem capitibus comprehenditur. Patavii apud Laurentium Pasquatum 1591.

II. De Natura Originalis Peccati, ac pœna in illo morientes ex Dei justitia concomitante ad Cæsarem Benedictum Pisaurienfium Pontificem. Pataviii apud Joannem Speronem 1599.

III. De Auctoritate Romani Pontificis MS.

IV. De Quinque vocibus ac Perihermonia MS.

V. Lectiones in primam partem D. Thomæ MS.

VI. Gnomologiarium Juridicum sive sententiarum Diversorum Collectio MS.

VII. Gnomologiarium aliud Legale MS.

VIII. Gnomologiarium Legale aliud Tomis IV. MS.

IX. Gnomologiarium Philosophicum & Theologicum MS.

X. Materiæ per Quadragesimam tractabiles MS.

XI. Plurimorum, eorumque Sanctissimorum Doctorum Gnomologia, seu exemplorum, sententiarumque notabilium copiosa Collectio in qua ut Viridario flores, & fructus spirituales unicuique gratis concessum est accipere & degustare posse.

XII. Epistolæ.

Plures Fulgentii cum laude meminere, inter quos Donatus Milcetus in Catalogo Clarorum Virorum Camald.

XXXIII.

GERMANUS BOTTA.

GErmanus Botta, Italus, Camers, Abbas Camaldulensis, Vir in Historiis nostris eruditissimus, vitæque integritate, ac monastica observantia spectatissimus. Ita paucis laudatur a Guidone Grando Dissert. Camald. II. cap. VIII. n. VIII. p. 100. ubi tamen nullo expressit verbo, an vel quam historiam literis mandarit.

XXXIV.

GERMANUS DE VECCHIIS.

GErmanus de Vecchiis, Italus, Utinensis, Monachus Camaldulensis, scripsit carmine Etrusco.

Lachrymas Pœnitentiales, Lib. I. quæ excusæ sunt.

Historiam Forojuliensem, quam morte præventus excudere non potuit.

Ex Arnoldi VVion Ligno Vitæ Lib. I. cap. XXVIII. Possevinus Apparatus Sacri parte 1. pag. 545.

XXXV.

GHERARDUS II.

GHerardus II. ex Monacho Classensi Prior Sacræ Eremi, totiusque Ordinis Generalis anno 1274. institutus, XVII. annos præfuit. Is Ordinis dignitatis maxi-

ma

ma pietate, ac prudentia rationem habens, animadvertit, uti ipse attestatur, non pauca in priscis Constitutionibus Ordinis confuse, permixteque haberi, quæ clariori dilucidatione pro conditione temporis indigere viderentur. Quocirca sub an. 1278. die 13. Octob. generale Concilium indixit, in quo suffragantibus Patribus Regulam Ereminticæ consuetudinis ante omnia in duos libellos redegit: hosque *de vita & moribus Eremitarum Camaldulensium* inscripsit. Subsequenti vero anno 1279. actis Comitiis in Oppido Soci, quod a sacra Eremo per tria milliaria separatum est; tribus libellis Constitutionum *B. Martini* Prioris quartum adjecit, quem *de moribus Camaldulensium* vocitavit. In quo quidem multa promiscue cum ad Cœnobiticam, tum ad Eremiticam institutionem sunt, quæ pertineant, quemadmodum ex eisdem perspicuum est. Anno 1290. alias pariter Constitutiones edidit. Ad meliorem vitam abiit *Gherardus* Prior Generalis 6. Idus Aprilis an. 1291. Vid. Aug. Flor. Hist. Camald. l. 2. c. 50. p. 220. A Luca Hispano Eremiticæ Historiæ Lib. 1. c. 14. p. 42. vocatur GHERARDUS secundus, diligens ac peritus Constitutionum lator. Eum etiam sæpius in partes vocat *Guido Grandus* In omnibus IV. suis Dissertationibus Camald. ut ipsius testimonio, Scalæ Visionem soli Maldulo contigisse evincat.

XXXVI.

GREGORIUS IX.

GRegorius IX. hujus nominis Pontifex Maximus, Hugolinus antea dictus, natione Campanus, patria Anagninus, ex nobili & antiqua Comitum Signiæ prosapia Innocentii III. Papæ nepos, a quo ex Abbate Monasterii Sancti Silvestri de Monte Subasio, a S. Romualdo constructi, & sub Ordine Camaldulensi tunc etiam vigentis, ad purpuram fuerat evocatus, teste Ludovico Jacobillo de Sanctis Umbriæ; cujus authoritate nixus Guido Grandus eum in Appendice ad Differt. IV. Camald. n. 3. p. 725. Ordini Camaldulensi adscribit. Illud certius, inquit Philippus Macchiarellus Hist. Vitæ S. Romualdi lib. 8. cap. 7. p. 246. quod Gregorius potius affectu, quam professione fuerit Camaldulensis. Pro competto etiam illud habetur, quod Honorio III. P. M. e vivis sublato, cum in quadam Cella Sacræ Eremi Camaldulensis in Etruria (quæ ea propter usque hodiernum diem nomine Papæ insignitur) rerum divinarum vacans contemplationi, reclusus commoraretur, Romæ prope Septizonium in S. Luciæ Diaconatu, omnium Cardinalium Suffragiis, altero ab Honorii obitu die, videlicet 13. Kal. Aprilis anno 1227. die Sabbati in Christi Vicarium, ac summum Ecclesiæ Pontificem, ut ei aliquando B. Leonardus Eremita Camaldulensis prædixerat, absens designatus, ad S. Petrum 5. Kal. April. die Sancto Paschæ consecratus, & triplici redimitus corona fuerit. Multa ad Dei laudem, & Ecclesiæ utilitatem præclare gessit, inter quæ a nobis non racendum, quod *Libros V. Decretalium* compilarit. Vid. Arnold. VVion Lig. Vitæ lib. 1. c. 22. p. 40.

XXXVII.

GREGORIUS FARULLI.

GRegorius Farulli civis Flor. eruditam & bene longam *Sacræ Eremi Camaldulensis Descriptionem* Romæ anno 1723. typis descripsit fecit. Vid. Aug. Rom. Fiori in Vita B. Pauli Justiniani l. 2. c. net. p. 270. & l. 1. c. 9. p. 75. laudatur a virtutum & literarum studio præsertim Historiæ, cujus egregium specimen dedit in condenda *Historia Monasterii S. Angelorum Florentiæ*, in qua nihil, quod antiquissimum juxta ac celeberrimum hoc Asceterium commendare potest, silentio involvit.

XXXVIII.

B. GUIDO ARETINUS.

B. GUido Aretinus, a patria urbe *Aretio* in Hetruria cognominatus, monachus primum fuit Cœnobii Pomposiani prope Ravennam in Ducatu Ferrariensi, quod S. Guido (*a*) ex Monacho Camaldulensis Monasterii S. Severi Pomposianus Abbas effectus, ad S. Romualdi normam, id est, Eremiticæ cum Cœnobitica Vita conjunctionem tum temporis redegerat. *Guidonis Aretini* est decantata cantandi nova methodus, quam vulgo *Solmisationem* vocant, seu *Gammam*. Sonos nempe omnes seu gradus, per quos fit vocis ascensus & de-

scen-

(*a*) Vid. Guid. Grandi Differt. Camald. I. c. 4. n. 8. pag. 70. & Diff. IV. cap. 6. n. 1. p. 69.

ſcenſus in Muſica, his vocolis expreſſit, *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *ſol*, *la*, quas ſumpſit ex primis ſyllabis hemiſtichiorum Hymni S. Joannis Baptiſtæ:

Ut queant laxis *Re*ſonare fibris
*Mi*ra geſtorum *Fa*muli tuorum
*Sol*ve polluti *La*bii reatum.

Ut vero ſuum ſyſtema (*a*) quod ad 20. chordas, ſeu gradus produxerat, nempe ad ſextam ſupra duplicem octavam tyronibus familiare redderet, ſingulas ejus voces digitorum in apicibus & flexuris appoſuit. Unde dictum eſt *Manus*, vel etiam *Gamma*, quoniam infimus ejus gradus ſeu chorda ab ipſo notatur litera Græca *Gamma*, ſcilicet *Gamma ut*, vel *G* ut; deinde *A* re, tum *B* mi &c.

Qua ratione *Guido* effecit, ut quod vix decennio addiſci antea poterat, abhinc *annali ſpatio*, aut ut multum *biennio* in poſterum diſceretur. Hinc quod illi magnam apud omnes gratiam conciliare debuerat, gravem conflavit invidiam, quæ eo uſque progreſſa eſt, ut e Monaſterio ſuo diſcedere coactus ſit. Poſtea tamen cum a Joanne Pontifice Romam vocatus, & honorifice acceptus fuiſſet, a *Guidone* Pompoſiæ Abbate, viro ſancto, qui ipſius æmulis aures facilius præbuerat, apud Pompoſiam retentus eſt: quæ omnia in Epiſtola ad *Michaelem*, ejuſdem loci monachum, ſcripſit, a Baronio non ſine mendis relata, quam integram vero Joannes Mabillonius ex Codice Villingenſis in Suevia Monaſterii deſcriptam Annalibus ſuis inſeruit.

Scripſit *Guido Aretinus Micrologum Muſicum* (a *Micrologo* de Officiis Eccleſiaſticis omnino diverſum) ad Theodaldum Epiſcopum Aretinum, Camaldulenſis Familiæ ſummum benefactorem; qui Benedicto VIII. Romano Pontifici laudatus extat MS. in Bibliotheca Buciliensi Ordinis Præmonſtratenſis in agro, ſeu Epiſcopatu Laudunenſi, & teſte Caſimiro Oudino, in Bibliotheca Lugduno-Batava inter MSS. Codices Latinos num. 163. ut conſtat ex catalogo impreſſo Librorum hujus Bibliothecæ in 4. Lugduni Batavorum anno 1674. pag. 408. & alibi paſſim.

Si Trithemio de Vir. Ill. O. S. B. lib. 2. c. 34. fidem non abrogamus, ſcripſit etiam *Guido Aretinus De Corpore & Sanguine Domini librum unum*. Idem tamen Trithemius in Chronico Hirſaug. ad annum MDXX. *Guidonem* vocat Monachum Cœnobii Crucis S. Leutfredi in Gallia. Videtur Trithemius ex *Guitmundo*, de quo poſtea dicturi ſumus, feciſſe *Guidonem*.

Anno 1030. *Guido Aretinus* a B. *Ludulpho*, Sacræ Domus Avellanæ ad normam Inſtituti Camaldulenſis Fundatore, in Coadjutorem ſeu Vicarium ſuum eſt cooptatus, cui etiam anno 1047. in Prioratu ſucceſſit, uſquedum anno 1050. die 17. Maji Deum adiit. Vid. Guid. Grandum Diſſert. IV. Camald. cap. 2. n. 4. p. 14.

XXXIX.

GUIDO GRANDUS.

Guido Grandus, ſeu *de Grandis*, Italus, Cremonenſis, noſtra ætate inter Monachos Camaldulenſes, ſiquis alius, virtute & doctrina excelluit. Quod de Hiſpanis Bardajus teſtatur, ipſos eſſe viros grandes & miros, de *Guidone Grando* non immerito abſque encomio uſurpare liceat, ipſum fuiſſe virum grandem & mirum; grandem rerum humanarum ac divinarum ſcientia; mirum ſingulari animi demiſſione ac humilitate, quam in viris ſingulari quadam doctrina præſtantibus oppido admirari ſolemus. Erat *Guido* Philoſophus, Mathematicus, & Theologus in paucis præclarus, ut qui haſce diſciplinas cum in præcipuis Ordinis ſui monaſteriis, tum in publica Univerſitate Piſana, a Coſmo III. Magno Etruriæ Duce, cujus erat Theologus & Mathematicus aſcitus ſumma cum laude docuit. Nec minor erat viri peritia in utraque hiſtoria cum Civili, tum Eccleſiaſtica. Literarum vero politiotum tanta in eo elegantia, quanta in nemine ſui Ordinis alio, una ætate qui eſſent. Quo factum, ut Regia Scientiarum Academia, quæ eſt Londini, tantum *Guidoni* honorem habuerit, ut ipſum, merito & eruditione ſua, eum ſibi ſodalem adſcripſerit. Sed quid ego Grandum deprædico, cum ipſe magis lucubrationibus ſuis atque libris in lucem emiſſis, quam mea, vel cujuſquam alterius oratione ſit conſpicuus, celebris, illuſtris? Ejus vero Opera, quæ ad noſtram pervenere notitiam, ſunt fere ſequentia.

1. *Geometrica Demonſtratio Vivianeorum Problematum &c. cum addita appendice de Geometrica Quadratura infinitarum partium curvæ ſuperficiei conicæ &c. Florentiæ ex Typographia*

(*a*) Edmund. Purchot. Inſtit. Phil. tom. 2. part. 1. Phyſ. ſect. 3. c. 3. p. 413.

phia Jacobi de Guiduccis an. 1699. in 4. Alph. 1. plag. 7.

Cl. *Grandus*, celeberrimi VIVIANI *Curiosam Exercitationem Mathematicam*, Etrusco idiomate ante hoc octennium editam non solum Latinitate donare, sed & justo commentario exornare, & singula quæ Dn. *Vivianus* jam ante semisecculum secum speculatus fuerat atque invenerat, quæque in Exercitatione sua simpliciter determinaverat, demonstrare dignatus est, subtilissima B. Cavallerii methodo indivisibilium ad id usus. Recensionem vide in Actis Erud. Lipf. an. 1701. p. 26.

2. *Geometrica Demonstratio Theorematum Hugenianorum circa Logisticam seu Logarithmicam Lineam &c. cum addita epistola Geometrica ad P. Thomam Cevam S. J. Florentiæ typis Regiæ Celsitud. apud Petrum Antonium Brigonci an. 1701. in 4. Constat Alphab. 1. plag. 6.* Celeberrimus Hugenius in Dissertatione de causa gravitatis Tractatui de Lumine subjuncta, proprietates Logisticæ seu Logarithmicæ proposuerat, sed sine demonstratione. Cum vero ipse *Hugenius* in laudata Dissertatione aliquibus ex illis ad arduas Physicæ veritates indicandas & problemata de motu corporum, sive per aerem projectorum, sive proprio pondere descendentium, computata medii resistentia, determinando usus fuerit, *Guidoni Grando* per Geometricam Problematum Vivianeorum demonstrationem, illorum demonstrationem Geometricam pertexere placuit. Vid. Recension. in Act. Erud. an. 1706. mense April. p. 149.

3. *Quadratura Circuli & Hyperbolæ per infinitas Hyperbolas & Parabolas Geometrice exhibita & demonstrata.* Pisis iteratis typis excusa per Franc. Bindi, primum in 8. deinde in 4. an. 1710. cum figuris suo loco insertis, multisque additionibus, inter quas est demonstratio unius Quadraturæ Circuli per infinitos rectangulus proposita a Cartesio in Operibus Posthumis, excusis post primam editionem Operis præsentis. Vid. Diarium Literatorum Italiæ tom. 3. p. 525. & Acta Erud. Lipf. Supplem. tom. 5. sect. 6. p. 260. ubi *Grandus* more veterum Syntheticam hucusque desideratam a se superaddi profitetur, eamque geminam, alteram nempe per infinitas parabolas, alteram per infinitas hyperbolas: quod tanto gratius accidit, cum hodie perpauci sint, qui methodum demonstrandi veterum Syntheticam cum recentiorum analytica conjungunt.

4. *De infinitis infinitorum, & infinite parvorum ordinibus Disquisitio Geometrica, in qua variis utriusque generis gradibus demonstratis, tum Methodi Infinitesimalis fundamenta ostenduntur, tum præcipue plusquam infinita spatia hyperbolica VVallisii adversus nuperrimos eorumdem impugnatores vindicantur. Pisis ex Typogr. Francisci Bindi an. 1710. in 4.*

Cum Author spatia plusquam infinita hyperbolica VVallisiana vindicare constituisset, commodum ipsi videbatur, quæ recentiores Geometræ in Analysi infinitesimali præsertim de infinite parvis assumunt, more veterum demonstrare. Unde ipsi enata est Disquisitio de infinitis infinitorum, & infinite parvorum ordinibus, ita ut qui primum primarius erat Auctoris scopus, in secundarium abjerit. Præmittitur Operi præludium Poeticum, in quo vates Geometrarum prioris & hujus sæculi clarissimorum, *Galilei*, *Cavallerii*, *Torricelli*, *Gregorii*, *Slusii*, *Hugenii*, *Mengoli*, *VVallisii*, *Leibnitii*, *Newtoni*, *Bernovilliorum*, *Hospitalii*, *Tschirnhausii*, *Craigii*, *Hermanni*, atque *Facii* merita canit. Recensionem vid. in Actis Erud. Lipf. an. 1712. mense Majo p. 1221. & Giornal. de' Letterati tom. 2. pag. 507.

5. *Epistola Mathematica de momento gravium in planis inclinatis; deque directione Fulcri in mechanicis attendenda, ex autographo iterum edidit, novis adnotationibus illustravit, & adversus Tambuccianam Epistolam opportunis Vindiciis munivit Marius de Cocniga, Auctoris discipulus, Lucæ, typis Peregrini Frediani an. 1711. in. 4.* Vid. recens. Diarii. Literat. tom. 6.

6. *Prostasis ad Exceptiones Cl. Varignonii Libro de infinitis infinitorum ordinibus oppositas circa magnitudinem plusquam infinitarum VVallisii defensionem & anguli contactus cum infinite parvo ad centrum osculantis circuli constituto comparationem. Pisis apud Franc. Bindium an. 1713. in 4. plag. 5.* Contendit Varignonius, omnem controversiam inter ipsum & Guidonem Grandum esse ex illarum genere, quas Logomachias appellant eruditi, cum spatia *plusquam infinita* Grandiana non eadem sint, quæ VVallisiana a Varignonio rejecta; id vero pernegat Cl. *Grandus*, atque adeo distinctius eam evolvere conatur. Vid. recens. in Act. Erud. Lipf. an. 1713. mense Nov. p. 912.

7. *Extractus Epistolæ ad D. NN. loco responsionis ad illam Varignonii circa controversiam plusquam infinitorum. Vid. Giornale de' Letterati tom. 6. p. 308.*

8. *Solutio duorum Problematum Mechanicorum Mathematicis Italiæ a nonnemine pro-*

posito-

positorum. Vid. recens. in Act. Erud. Lips. an. 1714. mense Febr. p. 85.

9. *Dissertationes Camaldulenses, in quibus agitur*.

I. De Institutione Ordinis Camaldulensis.

II. De ætate S. P. Romualdi.

III. De Visione Scalæ ejusdem, & Habitus Mutatione prætensa.

IV. De S. Petri Damiani, & Avellanitarum Instituto Camaldulensi.

Obiter etiam multa Ecclesiastica, & Prophane Historia loca illustrantur, & corriguntur. Ad Eminentissimum & Reverendissimum Principem Ferdinandum de Abdua S. R. E. Cardinalem, Camaldulensis Ordinis Protectorem. Lucæ MDCCVII. typis Marescandoli. eb. ang. Alph. 3. plag. 6.

Recensentur in Diario Literatorum Italiæ, & duæ quidem primæ Tomo IX. art. 11. §. 1. & 2. alteræ duæ Tomo X. Item in Actis Erudit. Lips. anno 1709. mense Febr. pag. 49.

10. *Vita del glorioso Principe S. Pietro Orseolo, Doge di Venezia, indi Monaco, ed Eremita Santissimo*. i. e. *Vita gloriosi Principis Petri Urseoli, Ducis Venetiarum postea Monachi & Eremitæ Sanctissimi. Venetiis an.* 1733. *in* 4.

11. *Tractatus De Novis Lineis Curvis*, cujus meminit in præfatione ad Dissertationes Camald.

12. *Agiologium Camaldulense*, quod prœlo paratum allegat Differt. Camald. I. c. 6. pag. 120. At ut ex literis V. C. Angeli Calogierà didici, imperfectum est, & ad Bibliothecam Monasterii S. Michaelis Muriani aliquot tantum Schedæ pervenerunt.

13. *Lucubrationes plures historica*, ad quas ipse Differt. III. cap. 1. n. 2. p. 5. provocat, nos vero an editæ sint, vel in MSS. lateant, cujusque sint argumenti, ignoramus.

14. Apologia pro *Carolo Mariano*, qui Vir in omni eruditionum cultura versatus, & in Geometricis artibus admodum excellens, anno 1599. Cremonæ in typographia Barucini de Zannis excudere fecit *De Circuli Quadratura demonstrativum Opusculum, ejusdemque inventum*. Quod Opusculum Christophorus Clavius in sua Geometria Poetica lib. 8. confutandum suscepit, Grandus vero in Epistola ad Franciscum Arisium, Cremonæ Literatæ Auctorem pro Mariano apologemata subtilissime scripsit; quam epistolam Arisius Crem. Lit. tomo II. p. 439. inseruit, sed annum & diem, quo data fuit, silentio prætermittit.

15. *Dialogum inter Sejanum & Rufinum* contra Jacobum Laderchium scriptum, qui S. Petrum Damianum, pluresque alios Sanctos ex Fastis Camaldul. deleverat, Guidoni Grando disertis verbis adscribit Auctor Diarii Literatorum Italiæ tomo 2. pag. 507. at ipse pernegat hoc Differt. IV. Camald. atque in appendice ad illam pag. 737. se longe alienum ostendit ab omnibus illis amaris jocis, quibus Sejani, & Rufini Dialogus scatet, atque intemperantius redundat.

Vita Reverendissimi Abbatis *Grandi* typis D. *Pasquali* Venetiis excusa habetur, quæ mihi tamen nec visa, nec lecta fuit.

XI.

GUITMUNDUS, sive GUIMUNDUS.

GUitmundus, sive *Guimundus*, cognomento (non natione) Normannus, Italus, Monachus & Eremita Cœnobii S. Andreæ, quod S. Crucis titulum gerit, de Avellana, Congregationis Columbæ, & deinde ob singularem eruditionem & doctrinam Aversanus Episcopus, circa annum Domini 1060. floruit, ac reliquit ad Rogerium monachum contra Berengarii errores Turonensis *De Corpore & Sanguine Domini Lib. III. De S. Trinitate, Christi humanitate, Corporisque ac Sanguinis Domini Veritate Confessionem*, quæ extat una cum iisdem tribus libris in Bibliotheca SS. Patrum Margarini Bignei. Qui item Coloniæ fuit excusus una cum Lanfranco, Algero, & aliis: & alibi aliquoties. At Arnoldus VVion addit, Tritemium l. 2. c. 88. & l. 4. c. 30. de Vir. Ill. O. S. B. ac lib. de S. E. aliosque, qui a Tritemio acceperunt, deceptos; ut arbitratur æquivocatione nominum Normandi, & S. Crucis, putasse Guitmundum fuisse monachum monasterii de Cruce Sancti Leufredi in Normandia Galliæ: Italum tamen Normannum, ac monachum illius monasterii, quod postea S. Crucis de Avellana titulum gessit, fuisse ex historiis haberi. Confirmat Bugianus colloquio 4. hist. monast. & Augustinus Florentinus parte 2. hist. Camald. l. 5. c. 15. qui tamen emendandi sunt, primum quod *Sigismundus* vocabulo corrupto ab eis vocetur; deinde quod Archiepiscopus Antuerpiæ fuisse scribatur: nimirum falsus, quod Archiepiscopus Aversanus dicatur a Tritemio lib. de S. E. in quo corrigendus videtur, cum deinceps in libris de Viris Ill. O. S. B. citatus palinodiam cecinerit. Quin & dictio illa

Averfa a Bugiano & Augustino illo, non intellecta, occasionem eis præbuit suspicandi, eam esse Antverpiam Brabantiæ civitarem, quæ vulgo dicitur *Anverfa*, quæ numquam Archiepiscopali dignitate cohonestata legitur. Quin & Episcopum Antverpiæ non fuisse liquet ex eo; quod Antverpia a prima sua origine numquam Episcopum proprium habuerit usque ad an. Domini 1550. quo creatus est primus illius Civitatis Episcopus.

Hæc verbatim Ant. Possevinus Appat. Sac. part. 1. p. 600. qui quemadmodum Bugianum & Fortunium non male emendavit, ita ipse monendus est, ut in spongiam incumbat, & quæ de patria & cognomento Guitmundi, a VVione in errorem inductus, asseruit, deleat, atque emendet. A vero enim longe abest, Guitmundum, Berengarii adversatium, Italum fuisse, ac Normanni cognomen tulisse. Fuit enim teste Orderico Vitali hist. Eccl. l. 4. p. 524. & seq. quo nullus de eo accuratius scripsit, natione Normannus in Gallia, professione vero Monachus Benedictinus. Is episcopatum a VVillelmo Angliæ Rege oblatum uti constanter recusavit, ita in locum Joannis Rothomagensis Archiepiscopi demortui electus, ea dignitate excidit, quod patre sacerdote, ut æmuli objiciebant, natus esset. Obtenta ab Odilone, Abbate suo, peregrinandi facultate, in Italiam profectus, ac Romam delatus a Gregorio VII. Cardinalis S. R. E. creatus, non multo post autem ab Urbano II. Archiepiscopus Aversanus institutus est.

Jam vero est, qui quærat, causamque nosse cupiat, ob quam Guitmundus a nobis in numero Scriptorum Camaldulensium reponatur? hanc non ego, sed Jacobillus in libro suo de *Sanctis Umbriæ* dicat, ex cujus assertione Guitmundus ex Cœnobio Leufridiano ad Avellanense Instituti Camaldulensis transiit, fama sanctitatis B. Ludolphi illectus. Quod si quis huic assertioni non acquiescat, sed eam ex veteris historiæ monimentis probari velit, illa me deficiunt, nec Jacobilli Opus in promptu habeo. Unde credendum est Guidoni de Grandis, qui Differt. IV. Camald. c. 1. n. 5. p. 8. auctoritate Jacobilli nixus Guitmundum Ordini Camaldulensi annumerat. Ego in re involuta, magnisque obsessa difficultatibus, uti videre est apud Ughellum Ital. Sac. tom. 1. col. 488. & Lucentium in Italia Restricta, anceps potius hærere, quam præcipitare sententiam malim.

XLI.

HIERONYMUS ALBERTI.

Hieronymus Alberti *de Praga*, vulgo *Pragensis*, qui vir fuerit, discere ex Pio II. Papa licet, qui in Descriptione Europæ cap. 26. ista tradit: „ Ex Slavis „ alii Gentili adhuc coecitate tenentur, „ quemadmodum multi ex Lituanis idola „ colentes. Horum magna pars ævo no„ stro ad Christum conversa est, post„ quam Uladislaus ex ea gente Poloniæ „ regnum accepit. Novi ego Hieronymum „ Pragensem, sacris literis apprime erudi„ tum, vitæ munditia & facundia singu„ lari clarum, qui annos supra viginti in „ Eremo Camaldulensi in Apennino Etru„ sco pœnitentiam egit. Hic oriente apud „ Bohemos Hussitarum hæresi, fugiens „ pestiferum virus in Poloniam transivit. „ Ubi acceptis literis ab Uladislao Rege „ commendatitiis, prædicaturus Evange„ lium Christi, ad Vitoldum Principem „ in Lituaniam penetravit multosque po„ pulos, Vitoldi favore fretus, ad salu„ tiferam Christi fidem convertit: venit„ que tandem ad Synodum Basileensem, „ vocatus a Juliano sancti Angeli Cardi„ nali, cum de rebus Bohemicis agere„ tur. Narrabat hic multa de Lituanis, „ quæ pœne incredibilia videbantur. Au„ diebam ego ex aliis ejus dicta, nec mo„ vebar, ut crederem. Libuit adire ho„ minem, atque ab ejus ore lata cogno„ scere: comites mei fuerunt Nicolaus „ Castellanus, qui tum Cardinalis Julia„ ni domum regebat; Bartholomæus Lu„ timanus, Archiepiscopi Mediolanensis „ scriba, & Petrus Noxatenus, Cardina„ lis Firmani Secretarius, viri graves & „ docti. Hominem in cella sua trans Rhe„ num apud Carthusienses invenimus: „ Subdit, quæ Hieronymus narrarit de Serpentibus, sacrato igne, malleo ferreo raræ magnitudinis, arboribus ac lucis, quæ omnia ab illis gentibus culta, ipse flamma ac ferro excidi curarat, non absque divinis portentis: qui tamen a Vitoldo, tumultum aliquem plebis verito, ex provincia decedere jussus. Ac demum ita concludit Pius: „ Hæc nobis Hieronymus „ constanti vultu, nihil hæsitans, ac per „ juramentum affirmavit. Dignum fidei & „ gravitas sermonis & doctrina ostendit, „ & viri religio. Nos quæ accepimus, „ immutata retulimus: veri periculum non

„ af-

„ assumimus. Persuasi tamen & nos & „ comites ab eo recessimus. „ Hactenus Pius. Eadem breviter ex eo memorat Spondanus in Annalibus Ecclesiast. ad an. 1413. num. 8. Quæque ambo de superstitionibus Lituanorum, eadem percenset Mathias Michovius Chronic. lib. 4. cap. 39. & Alexander Guagninus; nulla tamen Hieronymi facta mentione.

De eodem Hieronymo VVion lib. 1. Ligni Vitæ cap. 26. de SS. & BB. Ordinis Camaldulensis. *S. Hieronymus Pragensis, Eremita, Episcopus, & Apostolus Lituanorum*. Et cap. 25. de Epp. *S. Hieronymus Pragensis, I. V. D. & Theologus Eremita, accepta facultate concionandi, cum Episcopali potestate, ad fidem reduxit. Obiit Venetiis anno MCDXL. fuit in Concilio Basileensi: scripsit multa Opera*; quæ enumerant idem VVion & Augustinus Florentinus (interque ea *Sermonem de S. Romualdo*.) & *asservari manuscripta* tradunt *in sacra Eremo Camaldulensi*. At cap. 28. (quod est de Scriptoribus Ordinis) id solum habet VVion: *S. Hieronymus Pragensis*, supra. Eum porro sermonem *edidit & compilavit* (ut Ipsemet auctor infra scribit) *Frater Hieronymus de Praga, sacræ Paginæ professor, quamvis indignus*, ad petitionem Fratrum domus *Carthusiæ Basileensis* anno Domini MCCCCXXXIII. Neque ipse se, neque Pius Pontifex, aut Spondanus Episcopum nominat. Esto fuerit fortassis eum *Episcopali potestate*, ut habet VVion, in Lituaniam missus. Quæ jam de Hieronymo retulimus, narrat eadem Augustinus Florentinus Historiar. Camald. lib. 2. c. 67. Ubi de ejusdem Scriptis ad finem agens: *Hieronymi*, inquit, *lucubrationes in sacra Eremo asservantur: multa Volumina manuscripta Sermonum Dominicalium, & de Sanctis & Sanctæ Quadragesimæ: nec non varii Tractatus contra hæreticos, & de corpore Christi, & adversus errores Græcorum, & Sermo copiosus S. Romualdi, & Conciones in Conciliis habitæ*. Et lib. 3. c. 12. annumerat eum inter *Diffinitores*, a quibus Ambrosius, vir doctissimus Camaldulensis Congregationis Generalis electus est: nec dissimulat, quod acrius pro Concilio Basileensi stare contra Eugenium IV. visus esset, interclusum illi ab eodem Ambrosio ad sacram Eremum reditum esse. Cum enim a Patribus Concilii Basileensis Hieronymus eam in urbem ad confutandos hæreticos Bohemos vocatus fuisset, Ambrosius Generalis ei districtius inhibuit, ne quid agere quodammodo præsumeret contra Summum Pontificem (lib. 1. epist. 2. pag. 6.) Cui mandato cum Hieronymus parum obtemperasset, sed adversus Papam egisset, Ambrosius ad Abbates S. Salvatoris & S. Felicis literas dedit, quibus eis præcepit, ut Hieronymum de Praga, tamquam Summo Pontifici contrarium ac Concilio Basileensi faventem capi & carceri mancipari curarent. (Lib. 20. ep. 15. p. 670.) Quia vero id factum non est, Ambrosius Hieronymum reditu ad Eremum Camaldulensem interdixit, sed Venetiis, si vellet, subsistere permisit, ubi Priorem S. Matthiæ adversus Ambrosium fovit & amavit, (Lib. 20. ep. 5. p. 661.) uti is conqueritur. In epistola vero ad Abbatem de Carceribus (Lib. 20. ep. 16. p. 672.) Hieronymi notat intemperantiam & libidinem detrahendi prælato suo. In epistola 17. ejusdem libri ad Cardinalem S. Petri de Vinculis deplorat, quod Hieronymus ab ipsis Generalatus sui auspiciis adversus ipsum literas falsæ calumniæ plenas Cardinali Bononiensi scripserit. Alia epistola (ib. lib. 19.) illum ambitionis insimulat, quod multum institerit, ut Major fieret. Quæ omnia, nisi aliquid Ambrosii affectibus, quorum etiam Viri Magni in id genus dissidiis non semper immunes habentur, titulo *Beati* vel *Sancti*, quo Hieronymus Pragensis a VVione aliisque quibusdam condecoratur, parum digna sunt.

Agunt præterea de *Hieronymo Pragensi* Theophilus Raynaudus Operum Tomo X. Tract. de Gladio & Pileo. Bohuslaus Balbinus Epit. hist. rer. Bohem. l. 4. c. 4. & Miscell. Hist. Regni Bohem. Dec. I. Lib. IV. Hagiographico, seu Bohemia Sancta, ubi ad calcem, *Ego*, inquit, HIERONYMO SANCTI TITULUM, *etsi timide, eorum solummodo auctoritate, quos modo laudavi adscripsi*. Guido Grandus Dissert. III. cap. 4. n. 9. p. 54. Virum vocans sanctitate conspicuum, qui anno 1429. (ut ex Camaldulensis Archivi monumentis constat) Sermonem copiosum de S. Romualdo in ejus festivitate edidit, & mox anno 1433. ad instantiam Carthusianorum Basileensium, apud quos hospitabatur Concilii Theologus, iterum compilavit, & exscripsit, ut liquet ex ultimis verbis MSS. Paderbornensis Codicis, ex quo Sermonem hunc primus typis vulgavit Joannes Bollandus in Actis Sanctorum Februarii pro secunda vita S. P. Romualdi; qui etiam in Commentario prævio uberiorem, supra a nobis allatam, de Hieronymo Pragensi tradit notitiam.

Quod ad ſtricturas morales & aſceticas attinet, quas de Diſciplina Monaſtico-Eremitica Hieronymus Pragenſis Vitæ *S. Romualdi* intexuit, earum magnam partem ex Opuſculis S. Petri Damiani deprompſit. Sic quod cap. 11. num. 69. de *Quiete*, *Silentio*, & *Jejunio Eremitis neceſſario* Hieronymus ex D. Romualdi ore differit, totidem verbis habet Damianus Opuſc. 15. cap. 5. Quod ibidem ſubdit Hieronymus (ex ore iterum S. Romualdi) de *Veſtium paupertate*, & *vilitate amanda*, rurſus iiſdem verbis inculcat loc. cit. cap. 21. Quod ſubdit ille num. 70. *De venientibus ex ſæculo ad Eremum*, idem, eodemque verborum tenore, monet hic præfati Opuſculi cap. 29. Quod demum ille num. 71. decernit. *De his, qui ex Cænobitica converſatione ad Eremum accedunt*, iſte pariter, ubi ſupra cap. 30. ipſiſſimis vocibus, formuliſque proponitur perinde ſit, ſive hinc, ſive inde tranſcribas, cum non modo ſenſus, ſed verba, & ordo ipſe verborum utrobique immutatus occurrat. Vid. Grandi Differt. IV. c. 4. n. 8. p. 52.

Ad Superos abiiſſe Hieronymum anno 1440. ſcribit Poſſevinus Appar. Sac. part. 2. pag. 34. ubi & ejus Opera ex Arnoldi VVionis Ligno Vitæ recenſet.

XLII.

HIERONYMUS BARDIUS.

Hieronymus Bardius Patricius Florentinus, Monachus S. Mariæ Angelorum Florentiæ, linguæ Etruſcæ Tullius, & Hiſtoricus ſui temporis (Sæculi XVI. exeuntis) nulli ſecundus; adhæc Poeta, Rhetor, Philoſophus, & Theologus, celeberrimi nominis, ſcripſit ſermone Etruſco non contemnenda Opera, quæ quotidie in manibus omnium verſantur, inquit coævus Auctor Arnoldus VVion in Ligno Vitæ de Scriptoribus Camaldulenſibus. Sunt vero

„ 1. Cronologia Univerſale. Parte „ prima, nella quale dalla Creazione di „ Adamo fino all' anno MDLXXXI. di „ Criſto Noſtro Signore brevemente ſi rac„ conta la origine di tutte le Genti, il „ principio di tutte le Monarchie, di tut„ ti i Regni, Repubbliche, e Principati. „ La Salutifera Incarnazione di Criſto, „ con la ſucceſſione de' Sommi Pontefici „ Romani, la creazione de' Patriarchi, le „ Congregazioni dei Religioſi, le Milizie „ de' Cavalieri, i Concilii Univerſali e „ Nazionali, le Ereſie, i Sciſmi, le Con„ giure, Paci, Rebellioni, Guerre, e „ Prodigj, la denominazione di tutti gli „ Uomini in ogni profeſſione illuſtri. Con „ la particolare narrazione delle dette co„ ſe ſucceſſe d'Anno in Anno nel mondo. „ *Id eſt*: Chronologia Univerſalis. Pars „ Prima, in qua a Creatione Adami uſ„ que ad annum Chriſti MDLXXXI. bre„ vi narratione exponitur origo omnium „ Gentium, initium omnium Monarchia„ rum, Regnorum, Rerumpublicarum, & „ Principatuum. Salutifera Chriſti Incar„ natio cum ſucceſſione Summorum Pon„ tificum Romanorum; creatio Patriarcha„ rum, Congregationes Religioſorum; „ Æqueſtres Ordines, Concilia Oecumeni„ ca, & Nationalia, Hæreſes, Schiſmata, „ Conjurationes, Pacis fœdera, Rebellio„ nes, Bella & Prodigia. Nomenclatura „ Virorum quacumque profeſſione illu„ ſtrium. Cum peculiari rerum omnium „ narratione, quæ ab anno in annum in „ mundo contigere. Venetiis apud Juntas „ MDLXXXI. fol. maj.

„ Della Cronologia Univerſale. Parte „ ſeconda, nella quale della Creazione „ del Mondo, fino alla Natività di Cri„ ſto noſtro Signore brevemente ſi rac„ conta &c. *id eſt*: Chronologiæ Univer„ ſalis Pars ſecunda, in qua a Creatione „ Mundi uſque ad Nativitatem Chriſti „ Domini Noſtri brevi narratione exponi„ tur &c. Venetiis apud Juntas MDLXXXI. „ fol. maj.

„ Della Cronologia Parte terza, nella „ quale dalla ſalutifera Incarnazione di „ Criſto Noſtro Signore fino all' Anno „ CMXCIV. brevemente ſi racconta la „ Natività, Vita, e Paſſione di Criſto „ con la ſucceſſione de' Sommi Pontefici „ Romani. I Succeſſi, e la diviſione dell' „ Imperio Romano; il principio di molti „ Regni, Repubbliche, e Principati. La „ creazione de' Patriarchi; alcune delle „ Congregazioni dei Religioſi; Parte del„ le Milizie de' Cavalieri; i Concilii „ Univerſali &c. *id eſt*: Chronologiæ Pars „ tertia, in qua a ſalutifera Incarnatione „ Chriſti Domini Noſtri uſque ad annum „ CMXCIV. brevi narratione exponitur „ Nativitas, Vita, & Paſſio Chriſti cum „ ſucceſſione Summorum Pontificum Ro„ manorum. „ Progreſſus, & diviſio Imperii Romani; Initium multorum Regnorum, Rerumpublicarum, & Principatuum. Creatio Patriarcharum, nonnullæ Religioſorum Congregationes, Equeſtres Ordines, Concilia Univerſalia &c. Venetiis

apud

apud Juntas MDLXXXI. in fol.

„ Della Cronica Universale Parte quar- „ ta, nella quale dall'Anno CMXCIV. „ di Cristo Nostro Signore Santissimo al „ MDLXXX. brevemente si racconta la „ successione de' Sommi Pontefici; I due „ Imperii, il principio di molti Regni &c. „ *Id est*: Chronologiæ Universalis Pars „ quarta, in qua ab Anno CMXCIV. „ Christi Domini Nostri Sanctissimi ad „ MDLXXX. brevi narratione exponitur „ successio Romanorum Pontificum; Duo „ Imperia; initium multorum Regnorum „ &c. Venetiis apud Juntas MDLXXXI. „ fol. maj.

Quo eodem anno ex eadem officina typographica prodiit.

„ 2. Sommario ovvero Età del Mondo „ Cronologiche, nelle quali dalla creazio- „ ne di Adamo fino all'Anno MDLXXXI. „ di Cristo, brevemente si racconta la „ origine di tutte le Genti, il Principio „ di tutte le Monarchie, di tutti i Re- „ gni, Repubbliche, e Principati. La sa- „ lutifera Incarnazione di Cristo, con la „ successione de' Sommi Pontefici Roma- „ ni, la creazione de' Patriarchi, le Con- „ gregazioni dei Religiosi, le Milizie de' „ Cavalieri, i Concilii Universali e Na- „ zionali, le Eresie, i Scismi, le Congiu- „ re, Paci, Ribellioni, Guerre, e Pro- „ digj, la denominazione di tutti gli „ Uomini in ogni professione illustri. Con „ la particolar narrazione delle cose suc- „ cesse d'anno in anno nel mondo. *Id est*: „ Summarium, seu Ætates Mundi Chro- „ nologicæ, in quibus a Creatione Ada- „ mi usque ad annum Christi MDLXXXI. „ brevi narratione exponitur origo om- „ nium Gentium; initium omnium Mo- „ narchiarum, Regnorum, Rerumpublica- „ rum, & Principatuum; Salutifera Chri- „ sti Incarnatio cum successione Summo- „ rum Pontificum Romanorum; creatio „ Patriarcharum, Congregationes Religio- „ sorum; Militares Ordines Nobilium, „ Concilia Oecumenica & Nationalia, Hæ- „ reses, Schismata, Conjurationes, Pacis „ fœdera, Rebelliones, Bella, & Prodi- „ gia. Nomenclatura Virorum quacumque „ professione illustrium. Cum peculiari „ rerum omnium narratione, quæ ab an- „ no in annum in mundo contigere. Ve- „ netiis apud Juntas an. 1581. Volum. II. „ in 4. Partes IV.

„ 3. Vittoria Navale ottenuta dalla Re- „ pubblica Veneziana contra Ottone, fi- „ gliuolo di Federico Primo Imperadore „ per la restituzione di Alessandro Terzo „ Pontefice Massimo venuto a Venezia. „ *Id est*: Victoria Navalis, quam Respu- „ blica Veneta ab Othone, filio Friderici „ Primi Imperatoris pro restitutione Ale- „ xandri III. P. M. Venetias se recipien- „ tis reportavit. Venetiis apud Franciscum „ Zilettum an. 1584. in 4. „ Possevinus in Appar. Sac. hanc Victoriam a Turcis fuisse relatam, erronee scribit.

„ 4. Dichiarazione di tutte le Istorie, „ che si contengono nei Quadri posti no- „ vamente nelle Sale dello Scrutinio, e „ del gran Consiglio, del Palagio Ducale „ della Serenissima Repubblica di Vene- „ zia, nella quale si ha piena intelligen- „ za delle più segnalate vittorie, conse- „ gnite di varie nazioni del Mondo da i „ Viniziani. *Id est*: Declaratio omnium „ historiarum, quæ novissime depictæ ha- „ bentur in Aula Scrutinii, & Magni „ Consilii, Palatii Ducalis Serenissimæ „ Reipublicæ Venetæ; qua omnium ma- „ gis celebrium victoriarum datur notitia, „ quas Veneti de variis Orbis Nationibus „ reportarunt. Venetiis apud Felicem Val- „ grisium an. 1587. in 8. & an. 1602. in 8. Inter hasce Victorias longe celeberrima est, quam de classe Friderici I. Imperatoris Veneti retulerunt; qui Cæsar cum subinde Venetias venisset, ut cum Alexandro III. Pont. Max. in gratiam rediret, ad ejus procubuit pedes, ut osculum illis libaret; tum vero Alexandrum, non pauci, maxime Acatholici narrant historici, provoluti Imperatoris cervicem imposito pressisse pede his dictis: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculabis draconem*: at enim Bardius noster rem longe prudentius, invidiose minus, veri autem multo similius narrat; Alexandrum nempe Imperatori in genua demisso pedem porrexisse prolatis illis verbis: *Super aspidem &c.* Cui respondent Fridericus: *Non tibi, sed Petro*.

5. *Martyrologio Romano*. id est, *Martyrologium Romanum* e Latino Italice redditum. Venetiis anno 1585. in 4.

6. *De Rebus notatu dignis, & Viris Urbis Venetæ Illustribus Italice*. Venetiis an. 1587. 1606. & 1660.

7. *Historia Universalis lingua Etrusca sexdecim tomis comprehensa*, quam se vidisse testatur Arnoldus VVion apud Anctorem in folio regali, sed quis eam, dum vita functus est, habuerit, se cum ignaris fcire.

8. *Opera Joannis Lucidi Samothei de Emendatione temporum ab an. 1535. usque ad an. 1575. continuavit*.

Diem

Diem Hieronymus Bardius supremum obiit anno 1594. die 22. Aprilis, Pastor Ecclesiæ Parochialis S. Samuelis, Venetiis, & in eadem Ecclesia terræ mandatus fuit. Virum hunc illustrasse eruditione atque doctrina Cœnobium Angelorum Florentiæ, cujus etat alumnos, ex vero perhibet Augustinus Fortunius Hist. Camald. part. 2. l. 5. c. 22. p. 236. & Guido de Grandis Differt. II. Camald. cap. 1. p. 8. insignem vocat Chronologum. Quæ vero Ant. Possevinus Appar. Sac. part. 2. p. 29. de eo in literas retulit, ex Arnoldi VVionii Ligno Vitæ mutuatus est.

XLIII.

HYACINTUS MARIA CROCETTI.

HYacintus Maria Crocetti, Florentious Sacræ Theologiæ Doctor, suique Ordinis Prædicator, sui ævi, nempe transacti sæculi, celeberrimus, in lucem emisit: *La Scuola della Cristiana Filosofia aperta nella vita del Patriarca S. Romualdo Fondatore de' Monaci, ed Eremiti Camaldolesi.* i. e. *Schola Christiana Philosophiæ aperta in Vita Patriarchæ S. Romualdi, Fundatoris Monachorum & Eremitarum Camaldulensium. Venetiis apud Pontium Bernardum Librarium in Merzaria Anno MDCLXXXV. in* 4. Auctor non tam doctis, quam devotis Lectoribus hanc Scholam tribus comprehensam libris apetuit, in qua Christianæ Ethices egregia tradit præcepta.

XLIV.

HIPPOLYTUS BALLARINIUS.

HIppolytus Ballarinius ex Novaria Ordinis Camaldulensis ex Monacho S. Michaelis Muriani Abbas Generalis præfuit annis quinque. Scripsit *super Orationem Dominicam* egregium Tractatum, qui utrum excusus sit, nescio, inquit Arnoldus VVion in Ligno Vitæ lib. 1. c. 28. in addendis ad Scriptores Ordinis Camald.

Edidit etiam tractatum *de Diligendis inimicis* absque nomine impressoris, loci & anni; quamvis ex Epistola nuncupatoria Johanni Baptistæ Patavino Camaldulensium Moderatori data ex Monasterio S. Michaelis de Muriano Kal. Jun. an. 1546. annus etiam, quo opus in lucem prodiit, constare possit. Librum hunc ex latino in Italicum idioma transtulit Franciscus Monosinius e Prato-veteri sub titulo: *Trattato di amare i Nemici del R. P. D. Hippolito da Novara Mon. Camald. &c. Venet. 1555. per Bartolommeo Imperatore in* 8.

Itinerarium mei D. Hippolyti de Novaria, nempe eorum, quæ pro tempore, ex officio Generalatus, acta gestaque fuerunt. Extat incipiens de anno 1557., in Bibliotheca S. Mathiæ penes Murianum.

De Hippolyto fusius egit D. Marianus Armellioius in *Additionibus & Correctionibus Bibliothecæ Benedictino-Casinen. Partis Primæ p.* 50. editis Fulginei ann. 1733. in folio; nam Hippolytus ex Congregatione Benedictino-Casinensi ad alteram Benedictino-Camaldulensem adulta jam ætate transivit, & in Monasterio S. Michaelis de Muriano anno 1533. denuo Monasticen professus fuit.

XLV.

JACOBUS BRIXIANUS.

JAcobus Brixianus, Prior S. Martini de Opitergio, Magistri sui Petri Delphini, sacræ Eremi ac totius Ordinis Camaldulensis Præpositi Generalis Epistolas duodecim in libros distributas [illegible]no 1524. Venetiis propriis sumptibus, [illegible]pis vero Bernardini Benalii, edendas [illegible]it, quibus doctam de suo Præfationem [illegible]rumdem epistolarum præstantia pra[illegible]. Est editio longe rarissima, cujus [illegible] unum exemplar literati viri confe[illegible] leant, nulli parcunt auro, argentum [illegible] plena manu disseminant; adeo ut nostra ætate cum Parisiis hastæ unicum subjiceretur, mille Gallicis libris in publica auctione venundatum sit: tametsi non omnes Delphini Epistolas editio illa complectatur. Vide plura apud Edmund. Martene Tomo III. Collect. Amplifs. In præfat. ad Epistolas 242. quæ in *Jacobi Brixiani* editione desiderantur.

De raritate hujus Editionis legi etiam potest Godefridi Henschenii & Danielis Papebrochii Commentarius prævius in Vitam S. Hilari, Abbatis Galeatensis in Italia Tom. III. Maji die 15. p. 472. ubi cum de Translatione S. Hilari Epistolam Petri Delphini memorassent, quam ad vitæ finem integram transcripserunt, hæc subjungunt. „ Hac de re (*Translatione*) „ inter ejus (*Petri Delphini*) epistolas im„ pressas Venetiis anno MDXXIV. arte „ & studio Bernardini Benalii, extat in „ ordine nonagesima sexta, ad Franciscum „ Piccolhomineum Card. Senensem, ab

avun-

„ avunculo Pio II. creatum S. R. E. Archidiaconum, deinde Pontificem Maximum anno MDIII. Pium III. quam manu sua nobis transcripsit Illustrissimus, idemque Eruditissimus Antonius Magliabecchius beneficio tanto pluris aestimando, quod rarissima inveniantur exemplaria, adeo ut aegre post diuturnam inquisitionem unum petenti Alexandro VII. sit inventum.

In Bibliotheca vero S. Michaelis de Muriano exstant tribus voluminibus distributae Epistolae omnes Petri Delphini ipsinsmet auctoris perpolito calamo conscriptae, quae Cimelii pretiosissimi ad instar merito habentur & custodiuntur.

XLVI.

B. JACOBUS.

B. JAcobus *a Certaldo*, Etruriae oppido, ex nobili Guitiotum vulgo de' *Guidi* familia originem duxit. Solemni votorum nuncupatione se Ordini Camaldulensi tradidit Volaterris in Monasterio SS. Justi & Clementis. Cum virtute & doctrina praestaret, jussu Abbatis curam animarum suscepit. Ex Parocho in Abbatem cooptatus, illa dignitate brevi se iterum abdicavit, atque ad munus parochiale, ad quod se a Deo vocatum non nesciebat, impigre rediit. Multis annis illud non sine magno animarum lucro administravit, quoad laborem mercede donandus, anno aetatis sexagesimo, aerae vero Christianae ducentesimo nonagesimo secundo supra millesimum ad superos migravit.

Scripsit *De secundo Domini Adventu*, & Lectiones multas de diversis, quas in melius reformavit Raphael Volaterraaus, qui & miracula, quibus post obitum claruit, literis mandavit. Vitam exhibet Augustinus Florentinus Hist. Camald. part. 2. l. 2. c. 7. pag. 60. Scripta vero commemorat Arnoldus VVion in Ligno Vitae lib. 1. cap. 28. de Scriptor. Camald. & ex eo Possevinus Appar. Sac. part. 2. pag. 73.

XLVII.

INNOCENTIUS MATTHÆJUS ROM.

INnocentius origine Ligur patria Romanus in Monasterio Classensi Sacrum Camaldulensem habitum sumpsit anno aetatis suae decimoseptimo, & Professionem anno 1644. emisit pridie Idus Junias. Philosophico & Theologico cursu expletis Romam rediit, ubi studia sua ad Mathematicas convertit disciplinas, in quibus quantum profecerit satis indicat summa virorum doctorum sui temporis de eo existimatio. Summorum Pontificum Clementis X. & Innocentii XI. Geographus fuit. Abbas a Clemente X. electus e vivis anno 1679. mense Octobris excessit in Monasterio SS. Hippoliti & Laurentii Faventiae dum Visitatoris munere fungeretur. Scripsit

I. *Tabulam antiqui Latii & Novi Agri Romani. Romae typis Jo. Jacobi de Rubeis.*

II. *Tabulam Topographicam Agri Romani cum eorum omnium descriptione, quae ad prophanam sacramque historiam praecipue vero ad Martyrum agones illustrandos pertinent &c. Romae apud Successorem Mascardi* 1674.

III. *Descriptionem Geographicam Universae Ditionis Pontificiae* MS. in Arch. SS. Hyppoliti & Laur. Faventiae.

IV. *De Architectura Militari* MS. ib.

V. *De Arithmetica* MS. ib.

VI. *De Geometria* MS. ib.

VII. *De Horologiis* Horizontalibus, Verticalibus, & inclinatis cum tabulis Astronomicis MS. in Bibl. S. Gregorii Urbis.

Multaque alia

Laudatur Matthaejus a Nardino, ab Antonio de Effectis, a Prospero Mandosio in Bibl. Rom. vol. 2. cent. 10. n. 33. ab Augustino Oldoino in Appendice Athaenei Ligustici, ubi vocatur: *Vir maximi ingenii ad virtutem, dignitatem, & gloriam natus, inter nostri saeculi doctrina praestantes viros merito connumeratus.*

XLVIII.

JOANNES BAPTISTA CREMENSIS.

JOannes Baptista Cremensis, Monachus Camaldulensis transtulit de Latino in Italicum Vitam S. Placidi Abbatis & Martyris a Gordiano, ut ipse credebat compositam; quam versionem vidi in Caesarea Vindobonensi Bibliotheca, sub hac epigraphe:

Vita di S. Placido Monaco e Martire divisa in tre Libri. Composta da Gordiano, discepolo di S. Benedetto, e tradotta di Latino in lingua volgare, dal R. P. D. Gio: Battista da Crema, Monaco Camald. Nuovamente posta in luce dal R. P. D. Sebastiano da Fabriano Monaco Camaldolese. In Venezia appresso i Guerri fratelli an. 1583. *in* 12. i. e. *Vita S. Placidi, Monachi & Martyris in tres Libros divisa. Composita a Gordiano, discipulo*

pulo S. Romualdi, *in linguam vero vernaculam traducta a R. P. D. Jo. Baptista Cremensi Monacho Camaldulensi*. *Novissime juris publici facta a R. P. Sebastiano Fabrianensi*, *Monacho Camaldulensi*. *Venetiis apud fratres Guerraos an.* 1583. *in* 12. Editor *Sebastianus* vitam dedicavit multum R. P. D. Desiderio Angelieri, Abbati S. Mariæ de Carceribus Ord. Camald.

Meminit hujus Interpretis *Franciscus Arisius* in Cremona Literata tom. 2. p. 380. his fere verbis: *Joannes Baptista a Cremona*, tacito Gentili cognomento, more apud antiquos Monachos solemni, a *Cremona* Patria dictus, in insigni Monasterio S. Michaelis Muriani prope Venetias Camaldulense Institutum professus in Italicum sermonem traduxit:

Vitam S. Placidi Abbatis, *& Martyris a Gordiano conscriptam*, *edIditque Venetiis anno* 1583.

Hæc habui a doctissimo amico D. Petro Canneto, Abbate Camald. verum Ant. Possev. in Appar. Sac. Joannem Baptistam a *Crema*, non autem a *Cremona* appellat. Hæc ille l. c.

Falsus vero fuit *Jo. Bapt. Cremensis*, quod Gordianum pro vero vitæ S. Placidi auctore habuerit; cum sit auctor personatus, qui sub *Gordiani* nomine latere studuit.

XIL.

JOANNES BAPTISTA LOFFREDO.

JOannes Baptista Loffredo, Nobilis Neapolitanus, ac frater Principis *di Cardito* rebus humanis ac caducis in contemptu positis, ut vitam sanctius ac pie magis traduceret, Ordinem ingressus est Camaldulensem, in quo virtutis, doctrinæ, ac prudentiæ tanta patefecit indicia, ut varias post dignitates in Majorem Congregat. Montis Coronæ eligi meruerit. Reliquit *Librum Latinum in MS. De Casibus Conscientiæ*, quem Neapoli in hospitio Patrum Camaldulensium, sibi visum fuisse testatur Nicolaus Toppus in Bibl. Neapol. pag. 511. col. 1.

L.

S. JOANNES LAUDENSIS.

JOannes Laudensis in Insubria nobilibus ortus parentibus Fontis Avellanæ Eremum mundi vanitatibus renuntians petiit, ubi per quadraginta fere annos sanctissime vixit. S. Petro Damiano carissimus, ut ex operibus ejus patet, quæ emendanda etiam & corrigenda ipsi dedit. Post decessum S. Viri vitam ejus scripsit quam Guidone Grandio Auctore Append. ad Differt. IV. Camaldulensem tribueram Joanni Ravennati, sed cum Vitam S. Joannis Laudensis a Mauro Sartio Monacho Camaldulensi eruditissimo nuperrime editam dono D. Angeli Calogierà sim adeptus, ex his quæ ipse observatione IV. in eamdem Vitam scripsit sententiam mutare coactus sum & Vitam S. Petri Damiani non Joanni Ravennati, sed Joanni Laudensi Auctori restituere, quæ habetur tum in fronte Operum S. Doctoris, tum apud Bollandianos Auctores. Alia scripsisse Sanctum Joannem ex antiqua ejus Vita a Sartio evulgata discimus; siquidem cap. 2. hæc habentur: *Quin etiam vix unquam a diversis manuum operibus tolerabat quiescere, dum per aliqua ab Ecclesiasticis intervalla respirare liceret. Sed aut sua libros manu scribebat, aut ab aliis Scriptos examussim corrigebat, aut per diversa mittendas epistolas dictans exarabat. Cujus exhortatoria verba in quoscumque scintillabant, illorum ad Deum mentes mox sursum flammabant, nec poterant non ignire, quos tegerent, cum ab ignita ardentia carbone procederent*. Utinam hujusmodi Epistolæ extarent. Obiit vir sanctus anno 1006. die 7. Septembris, cum nec per integrum annum eidem Ecclesiæ Eugubinæ ad quam ex Priore Avellanensi evectus fuerat, tenuisset.

LI.

JOANNES TARVISINUS.

JOannes Tarvisinus ex prænobili familia Avogadra in celeberrima Eremo Rubensi, in agro Patavino, Congregationis Montis Coronæ, vitam eremiticam multis excoluit annis, magna tum eruditionis ac doctrinæ, tum, quod refert, morum integritatis laude ac fama. Ejus erga B. Paulum Justinianum, Congregationis suæ Fundatorem, amor, pietas, ac devotio tanta fuit, quanta nullius fere alterius. Ut ejus nomen ab hominum oblivione vindicaret, rerumque gestarum memoriam literis custodiret, nullis vigiliis, labori & studio pepercit, sed omnes potius, ut par erat, nervos ingenii doctrinæ, industriæque exseruit. Quid? quod honorifico Visitatoris officio se abdicaverit, omniumque negotiorum nexu, quæ scri-

scribendi esse impedimento poterant, se exsolverit, quo euris omnibus expeditus majori otio Opus, cujus primas duxerat lineas, ad fastigium perducere posset. Quo in labore multos exegit annos; nec id mirari subit; ut enim non perfunctorie scriberet, omnes auctores, e quorum scriptis proficere se posse existimavit, magna evolvit diligentia, qui numero non erant minimo, ut ex syllabo quem Vitæ præfixit, perspicuum fit. Quantum igitur cumque est, quod chartæ mandavit, summa cum accuratione & industria ab ipso ex aliis depromptum fuit Auctoribus qua impressis, qua manuscriptis; quibus etiam annumeranda veniunt ipsius B. Pauli Justiniani Scripta, Opuscula, literæ, aliæque notitiæ in Archivis cum suæ Congregationis, tum Sacræ Eremi Camaldulensis in Hetruria repertæ. Nec vir humilis fatisfsam tacet, unde profecit, sed fontem quemcumque, e quo aquam in suas derivavit areolas, commerito coronat encomio. Prius vero quam ad meliorem abiret vitam, laudabilis suæ operæ mercedem a Deo recepturus, anno 1685. duos spissæ molis tomos Patribus Eremi suæ Rhuensis consignavit, quam enixe, tam demisse rogans, ut illos eo usque asservarent, quoad progressu temporis ad Dei, qui in Sanctis suis colitur & honoratur, exaugendam gloriam, usum præstare possent. Cujus sui voti subinde damnatus est, cum non multis post annis Epitomatorem nactus fuit Augustinum Romanum a Floribus, doctissimum Familiæ Camaldulensis Abbatem, qui vitam hanc in Synopsim redactam Romæ anno 1723. publicavit.

Alia scripsit, quæ in Eremo Rhuensi asservantur, quæ multum ad Historiam Congregationis suæ, utilia esse possunt.

LII.

JOANNES BENEDICTUS MITTARELLI.

JOannes Benedictus Mittarelli Venetus Monasticen Professus est in S. Michaele Muriani. Studiorum curriculo, ut moris est, confecto, Professor Philosophiæ, postea Theologiæ in Monasterio suæ Professionis extitit, & alia munera laudabiliter exercuit. Studii amantissimus eruditionem præsertim amavit memoria adjutus, quæ lecta difficillime obliviscitur. Proprium nomen, modestia non vulgari præditus in libris, quos edidit occultavit. Plura meditatur, quæ perficiet vir doctissimus improbique laboris, quamvis fractæ salutis, si Deus vitam, ut speramus, ad perficiendum dederit.

I. *Ritiro spirituale di un giorno al mese per la rinuovazione de' Voti ad uso delle Monache spezialmente Benedettine. Tradotto dal Francese. Venezia* 1745. *presso Simon Occhi in* 12.

Nequaquam e Gallico Liber versus est, sed Auctor noster ex toto composuit: justæ tamen rationes impulerunt eos, qui curam edendi libri habuerunt, ut nomine & Patria Auctoris occultata prodiret.

II. *Memorie della Vita di S. Parisio Monaco Camaldolese e del Monastero de' Santi Cristina e Parisio di Trevisa raccolte da un Monaco Camaldolese. In Venezia* 1748. *in* 8. Ad calcem operis extat *Collectio Veterum Monumentorum*, quæ numero XL. sunt, & eruditis adnotationibus illustrantur.

III. *Brevi Memorie del Monastero della SS. Trinità di Faenza di Monache Camaldolesi. Faenza pel Ballanti* 1749. *in* 4.

Nunc Catalogum MSS. Bibliothecæ sui Monasterii conficit, in quo fere mille codices numerantur, multique sunt speciali nota digni, & ab ipso permulti acquisiti. Catalogo subjicientur Anecdota ex iisdem MSS.

De eo cum laude Ephemerides Florentinæ & Venetæ.

LIII.

JOANNES CLAUDIUS FROMOND.

JOannes Claudius Fromond origine Burgundus Patria Cremonensis solemnia Religionis vota emisit in Monasterio Classensi Ravennæ. Adhuc adolescens nequaquam poterant ei studia Philosophiæ Aristotelicæ vel etiam Cartesianæ placere: absurda quibus scatent noscebat solo lumine naturali, & ingenio vere philosophico quo præditus est, experimenta a nullo excitatus faciebat & naturæ liber quem summus artifex nobis aperuit solus ipsi placebat. Hinc factum ut studia diversimode amans ejus quę in domibus Religiosorum tum temporis colebantur, cathedræ conscendendæ aptus minime crederetur. In Avellanensi cœnobio aliquantulum commoratus tandem ad Pisanum bonis avibus se contulit ubi Præceptore Guidone Grandio conterraneo suo Mathematicæ operam dedit eo successu ut Grandius dum Visitatoris munere fungeretur Fromondium ut publice in Universitate legeret reliquit. Magni Etruriæ Du-

Ducis, qui optime noverat ingenium hominis, electione, primo Logicæ in Pisana Universitate Professor effectus deinde Philosophiæ munus injunctum implet omnium plausu & admiratione. Multa meditatur, pauca scribit sed talia quæ Philosophum insignem ostendunt. Edidit

I. *Due Lettere sopra l' Ottica del P. Castel*. Extant in Ephemeridibus Florentinis Tom. II. anno MDCCXLI. pagg. 436. 610.

II. *Risposta Apologetica ad una Lettera Filosofica sopra il Commercio degli Olj navigati procedenti da Luoghi appestati &c. Con l' esposizione e l' esame di essa, arricchita di Fisiche Osservazioni dal P. D. Claudio Fromond Pubblico Professore di Filosofia nella Università di Pisa. Lucca per Filippo Maria Benedini* 1745. *in* 8. Opus novarum observationum præstantia ac utilitate, ita a vere Philosophis in pretio habitum, ur rarissima adhuc exemplaria inveniantur.

III. *Nova & Generalis Introductio ad Philosophiam auctore Claudio Fromond in Pisano Lyceo Philosophiæ Professore. Venetiis* 1748. *Typis Josephi Bertella in* 8.

LIV.

JUSTINIANUS BERGOMAS.

JUstinianus Bergomas tum doctrinæ, rum, quod refert, sanctitatis fama celebris in Congregatione Montis Coronæ seculo XVI. claruit. Ejus vitam Lucas Hispanus in Romualdina seu Eremitica Montis Coronæ Camaldulensis Ordinis historia in literas retulit. Cum vero is liber sit perquam rarus, me ex eodem *Justiniani* Vitam hic adscribere non pigeat; ea namque omnibus documento esse poteſt, qui doctrinarum cum virtutum studiis conjungi possint ac debeant.

JUSTINIANUS Bergomi natus non ignobilis genere, nobilior tamen virtute fuit: ab infantia literariis studiis totus innixus, brevi tempore in philosophicis, ac theologicis literis evasit doctissimus: doctrina imbutus confestim se Deo dedit per religionis (quæ vera salutis via habetur) ingressum. Exercitatio literaria Patavii potissimum fuit; ubi & primum religionis habitum Benedicti sanctissimi monasticum in Monasterio sanctæ Justinæ sumpsit. Vigesimo secundo ætatis anno, ut de virtute in virtutem ambulando, subinde gradum quoque perfectionis altiorem ascenderet, ex Monacho Eremita factus perhibetur: idque Camalduli, ubi per annos octo mirabiliter conversatus, cunctis suavissimus sanctitatis odor extitisse, vel *Delphino* teste, comprobatur. Ajebat namque senex ille, quibus de Justiniano sermonem facere contingebat: si perseveraverit, quis putas junior iste erit? rantæ profecto opinionis apud eumdem Justinianus fuit, ut nulla inveniatur ad eum data epistola (quarum multæ libro XII. insertæ leguntur) quæ non summas ejusdem laudes contineat. Erat huic cum *Paulo Justiniano*, dum ambo Camalduli viverent, summa, sed in sanctitate fundata familiaritas; eoque statim ur novam fundaram, stabilitamque novit Societatem hanc (Montis Coronæ) ipsum secutus est. In qua quidem congregatione, quasi lucerna omnibus, qui in domo sunt, ardens, mirabili quodam progressu per annos quadraginta vixit. Quid iste in agris ampliandis, redditibusve augendis operatus sit, non invenio: quantus e contra in observantia regulari Eremitica adimplenda atque tuenda fuerit, crebra fratrum cum gemitibus recordatio superabunde testatur. Quo enim magis secularia negotia, ac forenses strepitus odio habuit, eo magis pietatis, sanctimoniæque exercitium adamasse cognoscitur. Simili modo perinde terrenas opes per totam vitam abhorruit, atque animi delitias dilexit: semper & ubique perfectionis iter mordicus, sine intermissione tenens. Adeo ut septuagenarius factus, nihil de stricta sui Ordinis observatione (quod sæpe junioribus indulgeri assolet) remisit. Quid quod hoc ipsum facere aliquando a Patribus rogatus, eo quod propter necessitatem eum longævum optarent, hunc in modum respondisse fertur: Tamdiu, observandissimi Patres, me vobis utilem futurum existimate, quamdiu solitariæ, seu Eremiticæ vitæ observatorem habebitis. In multis insignis fuit homo iste, sed in quatuor mirum in modum excelluit. Hoc est, in studio literario privato: in divinorum officiorum devotione: in solitariæ quietis, silentiique mirabili observatione: atque in secretæ contemplationis indeficienti fervore. Quæ ut debito ordine digesta date valeamus: principio sciendum est, in religione ista nullum fuisse studiosiorem, seu scientiarum cupidiorem. Utique nullo non tempore vitæ suæ sacris, piisque lectionibus summa cum diligentia, & affectione vacavit. Labores autem ejus infructuosi neutiquam extitere: etsi non omnes fructus illius radicis ad nos redire potuerunt; Deo eisdem nos ut indignos priva-

re

re volente. Scripsit itaque vir ille doctissimus opuscula multa, ex quibus pauca supersunt hodie: eo quod paucissimis ante mortem annis propria cella (in qua cuncta ejus scripta custodiebantur) fortuito incendio, seu ab invido quodam, noctis medio dum nocturnis vigiliis ipse assisteret in communi Ecclesia, combusta fuit. Sic, proh dolor! sudores, vigiliæ, & algores optimi Patris periere: & tanto temporis intervallo summo labore parata, parvo (ut ita dicam) momento consumpta sunt. Quam tanti thesauri jacturam, qui norunt, sine lacrimis recordari, aut referre nequeunt; magnum, scilicet, lucubrationes illas Ecclesiæ Dei lumen allaturas fuisse, & hæresum modernarum tenebras detecturas affirmantes. Supersunt tamen de tam multis tria, vel certe quatuor Opuscula arte & doctrina miranda. Hoc est *liber unus*, *sive dialogus de vera & falsa amicitia*; & alter *de hujus seculi contemptu*: uterque literis aureis adnotandus. Quos Patavii, dum Monachus Cassinensis esset, adhuc juvenis conscripsit. Reperti sunt insuper *tractatuli duo*, *alter de differentia peccatorum*; *& alter de scandalo*: ambo profecto fidelium conscientiis perutiles, ac valde necessarii. Alium præterea vidimus libellum *De Oratione* prænotatum: in quo orandi exercitium in artem quamdam deducitur: per regulas procedendo. Verumtamen hucusque nihil horum typis excusum vidi, sed aliena manu notata legi: fide dignorum testimonio compertum habeo, inter combusta opera fuisse quoddam opus, cui titulus erat: *Difficilium Scripturæ sacræ locorum elucidatio*: in quo quicquid in auctore doctrinæ, ingeniique fuerat, penitus elucebat. Ita officiose sanctorum Patrum vitas legebat, ut dicere consuesset: Vellem volumen hoc mecum una sepeliri, ut etiam post mortem solatium ex eo haberem. Rursus tanta ei ad opus Dei persolvendum fuit animi affectio, ut dum in Eremo esset, numquam sive noctu sive die, intermissionem Chori admiserit. Ubi rectus complicatis manibus stans, plena voce, qua dotatus erat, tanto cum decore Deo laudes reddebat, ut aliquando (dum alium ad hoc ipsum inducebat) affirmaret, se ne verbum quidem, nedum versum per inadvertentiam amittere. Quoties Major aut Prior eligebatur (quorum altero, licet invitus fere numquam carebat) stricte ostiario præcipere solitus erat, ne, dum in Choro laudes Altissimo redderet, sibi aliquid cujusvis momenti foret, nunciaret. Neque interventu alicujus magnæ personæ, ut fieri solet, licet Cardinalis existeret, se interpellare præsumeret. Solitariæ quieti incredibile videtur, quam ardenter incumbebat: eo quod pluries in privata cella de more Eremitico inclusum mansisse, manifestum est: mansissetque in vitam libenter, nisi eum tamquam religioni utilem, ac necessarium, prohibuissent Patres. Nec quiquam antiquius illi contingere poterat, quam absque aliqua perturbatione libere ad Deum mentem, animumque jugiter intendere. Quoties credas in divinis meditationibus occupatum transisse sine cibo diem? quoties sine somno noctem? Icirco sæpe dicere solebat: cibi, somnive memoriam in mente bene in Deum elevata, tardius occurrere. Porro non in solo pane vivere hominem, experientia longa didicerat. Ante Matutini signum assurgens, divinas laudes meditando expectabat. Tandem anno MDLXIII. cum ipse in prædicta reclusione maneret, Patribus Capitulum generale celebrantibus visum est summopere religioni conducere, eum in Majorem eligere. Id cum præsensisset timoratus Dei servus, Epistolam, quam oculis nostris vidimus, veluti ultimum vitæ suæ testamentum ad Patres Diffinitores scripsit. In ea cum omni humilitate eosdem deprecatur, ut animi sententiam mutare non dedignentur, vel quia res ipsa juxta eorum vota successura non fuisset. Non equidem quia ipse obedientiam recusare, aut laborem fugere vellet: sed quia ultimus vitæ suæ finis instaret. Addens, ex tali electione evenire non posse, quam studiorum suorum inutilem finem, ac Patrum desiderii acceleratam frustrationem. Quibus non assentiente Capitulo, e cella extractus, & Major factus est. Tertio vero ab illa electione mense febri correptus, lecto prosternitur: atque paulatim incrudescente morbo ad mortis articulum deducitur. Aderant frequentes capiti infirmi seniores nostri: quibus semel eumdem ad bono animo mortem suscipiendam hortantibus, ut in similibus fieri assuetum est: sic respondisse fertur. Ego Patres, licet non meis meritis, fide non dubia, speque firmissima, atque misericordia fretus Altissimi, mortem, quasi virgo sponsum, expecto. Quibus, & aliis verbis mirabiliter dictis, in pace quievit, die sancti Laurentii, decima Augusti. O fœlix non jam Justinianus, sed justus Eremita, & Dei servus, qui ab exiguo tugurio ad ampla Sanctorum palatia translatus es: ab stricta lce-

cellulæ clausura ad latissimas cœlorum plateas deambulandas pervenisti: qui tandem pro jejuniis, silentio, & corporis maceratione immensam Dei gloriam es assecutus. Quis enim dubitabit inter Dei electos regnare eum, qui in spiritu vitæ suæ finem adhuc vivens tam perspicue viderat? Summæ præterea perfectionis ejus multa possent vere afferri indicia, quorum præcipuum patientia: in qua temporibus suis similem non habuit. Quod plenius ostendit illud, quod furibundo incendio perempta dilectissima Sanctorum librorum suppellectili, omnibus ab eo diuturno labore, compositis libris in cinerem conversis, vix mœstitiæ signum expressit. Immo hoc ipsum suadentibus ei Patribus, voce affabili respondit: tam infausta laborum, tantique boni amissione inopinate conspecta affectam fuisse carnem, atque crudelissimi incendii ardore paululum accensam; sed Dei beneficio spiritum ruina illa in nullo læsum exultare intus, atque gaudere. Intelligens nimirum, hanc carnalis desiderii jacturam, sibi in futuræ gloriæ accessuram augmentum. Unde non immerito quidam Cardinalis, magna scilicet Ecclesiæ sanctæ columna, cui notissimus erat, sæpissime etiam cum gemitu dicebat: O utinam cum Eremita Bergomensi animam hanc permutare possem.

Hucusque Lucas Hispanus, qui in recensione Operum Ven. Justiniani Bergomatis non expressit *Vitam B. Pauli Justiniani* ab ipso conscriptam ferali illo incendio pariter interiisse. Perhibet hoc Augustinus Florentinus Hist. Camald. l. 3. c. 18. p. 302. Non credo, quod Venerabilis iste Eremita clariora insignis suæ ac plane heroicæ virtutis indicia patefacere potuerit, atque cum jactura librorum suorum adeo commotus non fuit, ut nullum nec levissimum conturbati animi signum ediderit. Scimus Auctores libros ingenii sui fœtus non minori complecti amore, atque parentes liberos suos, quorum interitum iniquissimo ferunt animo. Cum Marco Antonio Mureto Lib. 2. Ep. 29. celeberrimi nominis Auctori, Plauti liber, in quo emendando viginti quinque annos insudaverat, furto surreptus fuisset, vix non ad insaniam adactus identidem exclamavit: *Plautus me conficit, Plautus me angit, & exanimat, Plautus quiescere me non finit. Perierunt tot annorum sudores ac vigiliæ; adempta est voluptas, quam maximam ex illius lectione capiebam; præcisa spes gloriolæ, quæ ex tot locis emendatis sperari poterat: quam etsi non aucupor, facere tamen non possum quin doleam eam mihi, mea stultitia, aliena improbitate subreptam*. Quanta igitur, quamque incredibilis Ven. Justiniani virtus fuit, cui jactura librorum suorum, quibus elucubrandis tantum industriæ, tantumque laboris per annos plurimos impendit, nullum dolentis, impatientis aut certe quidem conturbati animi gemitum expressit. Non est vulgaris virtus in gravi rei charissimæ jactura animo esse pacato, quieto, & tranquillo. Hoc qui est, ejus virtus excelso habetur sita loco. Ego certe ex lectione Scriptorum Justiniani numquam de virtutum ipsius præstantia tantam opinionem atque existimationem induturus fuissem, quantam ex ejus patientia, æquanimitate, ac mansuetudine concepi, qua librorum suorum nequissimam pertulit combustionem, quaque se adeo continuit, ut nec levissimum verbum, ne dicam convitium contra furciferum illum, quem tantum in ipsum edere scelus non puduit, effuderit. Vere virum magnum, ac inclytum Scriptorem, cujus doctrina in admirabili enituit patientia.

LV.

LADISLAUS RADOSSANY.

Ladislaus Radossany Nitriæ in Ungaria genitus, Posonii elegantiorum literarum studiis operam navavit. Quibus cum laude absolutis in Zobriensi supra Nitriam Eremo Congregationi Montis Coronæ se aggregavit. Jactis eremiticæ vitæ solidis fundamentis progressu temporis ob spectatam cum doctrinam tum prudentiam Eremis regendis præfectus est, quarum aliis cum in Germania, tum Hungaria ut Prior, aliis ut Superior præfuit, hodieque præest. Quo autem tempore Eremi Zanferiensis in Hungaria actualis erat Superior, in lucem dedit Opus, cujus titulus:

Epitome Antiquarii Tripartiti Sacri Ordinis Eremitico-Camaldulensis, in qua Principium & Progressus hujus sacræ Institutionis, ac irrelaxatus Primævæ observantiæ vigor. Uti & Gloriosissimi Patriarchæ & Fundatoris Divi Romualdi vita, nec non Romualdinæ Congregationis (Montis Coronæ nuncupatæ) per Beatum Paulum Justinianum erectæ, origo. Ac alia non pauca profectui spirituali apprime deservientia succincte exarata continentur. Opera & studio P. Ladislai Radossany E. C. M. C. Neostadii Austriæ, Typis Samuelis Muller. Anno MDCCXXVI. in 4.

In

In hoc titulo verba illa: *Irrelaxatus primævæ obſervantiæ vigor* virgulam cenſoriam vix effugere poſſunt: cum diſciplinam Monaſtico-Eremiticam ſeculo XV. multis in locis collapſam Ambroſius Camaldulenſis, & Petrus Delphinus, uterque Ordinis Generalis non minore zelo, quam difficultate inſtaurarint. Legantur utriuſque epiſtolæ, ac præſertim prioris *Hodeporicon*. Optandum, ut ita fuiſſet, ſed cum non fuerit, dicendum, quod a vero alterum non eſt: *Amicus* enim *Plato*, *ſed magis amica veritas*.

Poſt Facultatem Reverendiſſimi Patris Generalis, Cenſuram Ordinis, & Ordinarii, incipit Editoris Prœmium in quatuor Paragraphos diſtributum; quorum primo oſtenditur, quantum antiquitas præſtet Novitati. Secundo agitur De triplici Inſtitutione Ordinis Camaldulenſis, & Eremorum Hungariæ Fundatoribus. Tertio de laudibus ſolitariæ Vitæ Eremetico-Camaldulenſis diſſeritur. Quarto de obloeutoribus Vitæ Eremiticæ Sermo inſtituitur. Cl. Radoſsanius in §. II. ſcribit, Congregationem Monachorum Camaldulenſium, *S. Michaelis Muriani* dictorum, ab ipſo SS. Patre Romualdo ſpecialiter pro cura animarum fuiſſe erectam: id quod hiſtoriæ Camaldulenſis Ordinis perito minime perſuaſerit; eum ab obitu S. Romualdi ducenti fere anni effluxerint, priuſquam Ordo Camaldulenſis in Venetam urbem aſcitus fuit. Legatur Aug. Flor. Hiſt. Camald. l. a. c. 5. p. 148. & c. 26. p. 182.

Abſoluto Proloquio incipit Pars I. qua continetur *Vita Magni Anachoretæ & Glorioſiſſimi Patriarchæ Divi Romualdi*, *in compendium quidem redacta*, *ſed omnigenis Aſceticæ Vitæ*, *chriſtianæque perfectionis virtutibus adeo referta*, *ut ex ea Superiores modum regendi*, *ſubditi normam ad præſcriptum Statutorum ſuorum converſandi*, *cuncti denique fideles*, *abſolutiſſimam ſibi ſalubriter vivendi methodum facile decerpere poſſint*. Hujus Vitæ auctores ſunt partim Venerab. Hieronymus Pragenſis, partim Auguſtinus Florentinus, uterque Ordinis Camaldulenſis, quorum tamen Editor nullo meminit verbo.

Pars II. complectitur *Vitam Beatiſſimi Pauli Juſtiniani*, *Romualdinæ Congregationis Montis Coronæ Fundatoris Inclyti*, *ac Mundi*, *Carnis*, *& Dæmonis Triumphatoris Admirandi*. Auctorem, qui fuit *Lucas Hiſpanus* Eremita Camaldulenſis e Congregatione Montis Coronæ Cl. Editor ſilentio involvit.

Parte III. continetur *Vita S. Dominici Loricati* Ordinis Camaldulenſis, quam aliæ Vitæ complurium Eremitarum Camaldul. virtute ac doctrina illuſtrium excipiunt; quorum auctores a Cl. Editore iterum taciti prætermittuntur, ita ut nullus ſe fuiſſe appellatum, glorIari poſſit.

Vivit ſuperſtes hodie Cl. *Ladislaus Radoſſany*, cui ſeros apprecamur annos, quo novam, eamque in Regno Hungariæ quartam, oppido concinnam elegantem, ſplendidam Eremum Camaldulenſem, *Meiſtenſem* dictam, atque in ditione Excellentiſſimi DD. Comitis Joſephi de Eſterhazy ſitam ea felicitate ad ſupremum faſtigium perducere poſſit, quo magno labore, incredibili induſtria, ac ſingulari prudentia, prima ejus fundamenta annis abhinc non ita multis poſuit. Qua nova fundatione uti præclare de Congregatione Montis Coronæ meritus eſt, ita hæc, ut ſperare fas eſt, tanti beneficii memoriam nulla unquam oblivione eſt deletura.

LVI.

LAURENTIUS PANTALEONUS.

LAurentius Franciſci Pantaleonis filius Bargæ, in Hetruria natus in Monaſterio Angelorum Florentiæ ſacrum Camaldulenſem habitum ſuſcepit ubi poſt Philoſophicas Theologicaſque facultates in exedris traditas, Abbas inauguratus eſt. Scripſit

I. In Epiſtolam S. Pauli ad Romanos. MS. extat in Biblioth. Monaſterii Florentini Angelorum.

II. Della Cognizione di ſe ſteſſo Trattato MS. ibid. Typis impreſſum librum hunc fuiſſe teſtantur aliqui, ego tamen nec vidi, nec ubi impreſſus ſit diſcere potui.

III. Genealog. Ducum ſive Familiæ Ravennatis de Honeſtis MS. in Archiv. Claſſenſi.

IV. Compendiariam Artis Geographicæ Inſtitutionem MS. in Bibliotheca Angelorum.

V. De Horologiorum deſcriptionibus MS. ibid.

De Laurentio Puccius lib. 3. Epiſtolarum, & Lombardellus in Vita B. Bernardi Ptolomæi.

LVII.

LUCAS HISPANUS.

Lucas, Hispanus, Barchinonensis, ut de Congregatione Montis Coronæ, cujus Eremita erat, virtute ac doctrina conspicuus, bene mereretur, ejus Latino sermone condere historiam, secum animo constituit, postquam viginti jam annos solitariam duxisset vitam. Ut primum vero Opus primis informatum lineis Antonius Carafa S. R. E. Cardinalis sapientissimus, oculis arbitratus est, non solum diligenter lustravit, sed animos etiam Auctori addidit, quo ipsum ad justam plenitudinis mensuram perducere conaretur. Quibus monitis cum *Lucas* morem gessisset, opus ad majorem adduxit perfectionem, eidemque Purpurato Patri pereleganti epistola nuncupavit. Inscribitur:

Romualdina, seu Eremitica Montis Coronæ Camaldulensis Ordinis Historia in quinque libros partita. Typis Patrum decreto probata excusa fuit in Eremo Rhuensi prælati Montis Vendæ, qui situs est in agro Patavino anno MDLXXXVII. Hæc Historia tribus post annis suam ob præstantiam Italice versa prodiit apud Nicolaum Misserinum an. 1590.

Quamdiu *Lucas* vixerit, & ubi mortem oppetierit, ignoramus; illud vero ex Libri dedicatione non nescimus, quod Eminent. Cardinalis Carafa, insigni animi pietate ac benevolentia Patres Camaldulenses, Lucamque præcipue, in Patriam suam, in amplissimum Neapolis Regnum (præparato prius idoneo solitudinis loco) vi quadam sanctissima pertraxerit. Rediisse tamen ex hoc Regno ad Eremum Rubensem, illud argumento est, quod ex ea ad Cardinalem Carafam epistolam Operis nuncupatoriam scripserit. At enim an hic vel illic mortuus fuerit, nihil refert; ex utroque enim loco illi aditus ad cœlum patuit, cum, teste Guidone Grando Dissert. Camald. I. c. 2. p. 27. Vir fuerit integerrimus & gravissimus.

LVIII.

MARCUS ANTONIUS PAGGI.

Marcus Antonius Paggi, Camaldulensis Monachus, an Eremita? ex Gallico in Italicum convertit sermonem: *La Vita Nascosta con Gesù in Dio, composta da Henrico Maria Budone Dottor in Teologia, grande Archidiacono d' Eureux*. i. e. *Vita abscondita cum Jesu in Deo, composita ab Henrico Maria Budone, SS. Theologiæ Doctore, Magno Archidiacono Ebroicensi*. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo *ad Colos. c. 3. Genuæ An. MDCLXXXIV. typis Antonii Casamata in 12.*

LIX.

MARIOTTUS.

Mariottus, Aretii natus ex nobili Allegria familia, sacræ Eremi Camaldulensis Prior quadragesimus tertius, atque Ordinis Generalis, ut primum audivit, S. P. Romualdi corpus, aperto ejus sepulchro, anno 1466. integrum post 440. annos repertum multis clarere miraculis, nihil cunctandum ratus, cum magno suorum comitatu ad Vallis Castri cœnobium contendit, atque miracula xxv. sibi a testibus oculatia dignisque fide relata, suo Cancellario dictavit, quo illa literis consignaret. *Vid. Silvanus Razzi in Visitatione Reliquiarum S. Romualdi ex Italico in Latinum versa apud Bollandum Febr. tom. 2. die 7. p. 140. Augustinus Flor. Histor. Camald. part. 2. lib. 3. cap. 27. p. 141.* cujus verba adscribo: „ Dum *Mariottus* Generalis „ in Cœnobio sancti Blasii Fabriani degeret, nobiles quicumque illum visitatum adirent, gestiebant multi enarrando miracula, quæ Deus Optimus Maximus ad sacratissimum Corpus patrare dignabatur in horas. Quæ cum ille digna reputaret, quæ posteritati commendari deberent, eam operam Joanni Juliani a Laterino Notario & scribæ suo demandavit, se dictante. Ea nos in Bibliotheca sancti Matthiæ Muriani invenimus, sicut *Maurus Lapius* illa ab ipso Domino Generale, & Michaele Abbate acceperat, & ab originalibus transcripserat. „ Hæc *Augustinus* l. 2. qui alio loco vit. patt. 1. lib. 2. cap. 68. Mariotti doctrinam & cruditionem laudibus celebrat. Ejus etiam Ambrosius Camaldulensis sæpius mentionem facit in Hodæporico suo; præsertim pag. 70. ubi hæc habet: „ Florentiæ Eugenii IV. sanctitatem adivimus; & cum inter familiarea sermones de Religionis nostræ dispositione loqueremur, ordinem & modum enutriendorum Puerorum a nobis institutum, vehementer approbavit, atque ita, ut opem quoque ferret, dato in „ con-

„ conſpectum ſuæ Sanctitatis *Mariotto* nostro cariſſimo fideliſſimoque ſocio, Puerorum Nutritore, qui brevi oratione facta multum commode & intente auditus eſt, & currenti ſua ſponte Pontifici addidit ſtimulos, pluſque illi placuit noſtrum Inſtitutum. „

LX.

B. MARTINUS.

B. MArtinus Generalis Prior a S. Romualdo XVII. fuit Deo ac hominibus dilectus, quem ſibi amorem ſumma vitæ integritate, morumque elegantia, innocentia ac ſuavitate conciliavit. In negotiis magni momenti expediendis prudentia excelluit. Anno 1254. Generale Capitulum apud ſacram Eremum celebravit, in quo primas Patribus promulgavit conſtitutiones, quibus omnis vere Cœnobiticæ inſtituendæ vitæ rationem tam quoad divina, quam quoad mores: ſimul quædam ad Eremiticam dignitatem exaugendam pertinentia quinque libris complexus eſt. Hi libri omnino digni nobis videntur, quos hujus Bibliothecæ Tomo VI. juris publici faciamus.

Monachis etiam Cœnobii S. Matthiæ Muriani jam anno 1248. tradiderat in ſcriptis Eremiticam vivendi formam, quæ nonnihil remiſſior eſſet illa, quæ in ſacra Camalduli Eremo ex traditione S. P. Romualdi ſervatur; eaſque *Conſtitutiones Eremi S Matthiæ Muriani* inſcripſit. Auguſt. Flor. l. 1. part. 2. lib. 3. c. 5. pag. 106 - 110. eaſdem exhibet.

Guido Grandus trium dumtaxat librorum meminit. Anno 1253. B. Martinus Ordinis noſtri conſuetudines tribus libris complexus eſt. Differt. Camald. III. n. 10. p. 37. Sed forſan conſuetudines a Conſtitutionibus diſtinxit.

LXI.

MAURUS LAPIUS.

MAurus Lapius Florentiæ ſæculo XV. vivere cœpit honeſtis natus parentibus. Monachus ante Carmelitanus fuit, quam ad ſacra Eremi caſtra tranſivit. Fecit id vero, ut ipſe memoriæ prodidit, monitu & hortatu cujuſdam venerabilis Sanctimonialis in Lucenſi Parthenone Ordinis Camaldulenſis. Primum ad S. Michaelis Muriani monaſterium ab Ambroſio Generale miſſus, deinde familiæ S. Matthiæ eadem in inſula adſcriptus, ab ea numquam ſegregari voluit. Libris cum proprio marte ſcribendis, tum aliorum reſcribendis, mirum quantum delectabatur! Quo labore & ſtudio omnem fere ætatem, quamtumvis longævam, contrivit. Fidem quippe ipſe facit, ſe non pauciores, quam mille Codices & evolviſſe, & reſcripſiſſe. Edita ab eo fuit

Vita Beati Laurentii Juſtiniani Patriarchæ Veneti.

Vita Beati Petri de Sardinia Monachi Camaldulenſis.

Encomium & Epitaphium Ambroſii Præpoſiti Generalis Camald. in epiſtola perlonga ad Eugenium IV. P. M.

Tractatus, ſeu Deſcriptio Itineris in Terram Sanctam, quam ſemel atque iterum adivit.

Non poſtremæ habuit curæ, ut qui libri noviter typis excuſi erant, Bibliothecæ S. Matthiæ non deeſſent. Vir nullus erat virtute, doctrina, & auctoritate conſpicuus, cujus non fruebarur amicitia. Extant volumina literarum quas bene multas ad illos dedit. Nec pauca ſunt beneficia, quæ tam a Senatu & Duce Veneto, quam ab aliis Viris primariis Monaſterio ſuo obtinuit. Ad meliorem vitam poſt multas hujus ſæculi ærumnas, abiit 7. Id. Novembr. 1478. octogenario major, cum 50. fere annos ad S. Matthiæ peregiſſet. Vid. Auguſt. Flor. Hiſt. Camald. part. 2. lib. 4. c. 12. p. 174. & Part. 1. lib. 3. pag. 398.

LXII.

MAURUS SARTIUS.

MAurus Sartius Bononiæ natus ſacræ Camaldulenſi Militiæ adſcriptus eſt in Monaſterio Claſſenſi, ubi etiam Profeſſoris munere eſt perfunctus, ſed aeris inſalubritate ejus valetudo tentata, Monaſterium ubi & Concellitarum amore & ſtudiorum comodo fruebatur deſerere voluit, & ad Maſſacienſe in Umbria Monaſterium ſe recepit, ubi majori quiete gaudens prima monumenta ſui ingenii typis tradidit omnium plauſu excepta eaque ſunt

I. De Antiqua Picentium Civitate Cupra Montana &c. In Collectione Calogieriana Opuſculorum Tom. XXXIX. deinde ſecundis curis multum aucta Piſauri Typis Nicolai Gavelli in 8.

II.

II. Vita S. Joannis Laudensis antiqua ex MS. eruta Italice facta cum annotationibus & Dissertationibus &c. Jesii 1748. in 4.

Plura scribit vir doctissimus quæ lucem suo tempore aspicient, nimirum de Episcopis Eugubinis. De Æsi flumine & locis adjacentibus. Antiquitatum Avellanensium. De eo Ephem. Litt. Venetæ & Florentinæ.

LXIII.

MICHAEL.

Michael, cujus cognomen memoriæ proditum non lego, Camaldulensia instituta in Monasterio S. Mariæ de Angelis Florentiæ admodum juvenis professus est. Egregiam a natura indolem fortitus pietati simul ac bonis literis haud segnem navavit operam. Hunc cum *Petrus Donatus* magni nominis Abbas *Ambrosio* sacri Ordinis. Generalis commendasset, is ad ejus literas hæc rescripsit: „ Commendas mihi & quidem commendatione haud vulgari *Michaelem* carissimum nostrum in Domino: atque ut cum ad meliorem profectum horter, ac etiam (si opus fuerit) opportune importuneque arguam jubes. Ego sane tibi quam libentissime obsequar: nec illi in quoquam deero tui causa. Quamquam ita quoque illum, sicut & tu ipse, unice semper dilexerim: ut ultro quod modo jussisti ac libens antehac sæpius fecerim. Licet enim ipse non ita vivam, ut aliis exemplo esse possim: dedi tamen imprimis semper operam, ac conatus sum pro viribus, verbo saltem adolescentiores instruere, monereque, ut in via Dei recte ingrediantur. Verum *Michaelem* idcirco præcipuo quodam affectu complexus sum, quod objurgantem me atque increpantem, æque ac laudantem benignissime audit. Et cum illum importunius meo quidem judicio quotidiana pene admonitione vel in minimis quibusque castigem, arguam, compescam, me profecto id faciente non modo nulla movetur impatientia; sed plerumque mihi gratias agit: adeo ut ipse interdum admirer. Nec me pœnitet illum monita mea grato animo admittere, quando iisdem proficere eum in dies apertissime noverim. Siquidem mei contemplatione multa illum facere, quæ ad regularem observationem pertineant, ex ejus ore non semel audivi. Quid de illo sentiant alii, nescio. Ego certe quam optimam de eo concepi spem, ejusmodique ipsum futurum confido, qui tum sibi, tum aliis suo tempore profuturus sit. Est enim optimo ingenio, ac magis quam pro ætate viget prudentia, adeo ut ex nostris (in hoc te sentire mecum opinor) nemini sit secundus. Monitore tantum ac duce, dum ad maturiorem perveniat ætatem, opus habet: & eo quidem, quem non tam vereatur, quam diligat, observet, colat. „

In singularem igitur amicitiam *Michael* ab *Ambrosio* Ordinis Generale receptus, pluribus epistolis ab eo cohonestatus fuit. Quarum una (*Lib. XII. ep. 7.*) quod solida sit sectatus, his verbis gratulatur. „ Quod aliquamdiu literas meas subduxerim tibi, nihil est fili, cur arbitreris te a me negligi. Te enim, fili, & diligo, & in sinu meo foveo semper, atque ita, ut disjungi non patiar, ne affectus noster hic defluat, gratulorque itidem te perturbationibus, quæ inciderant, omissis, solida esse sectatum, neque ulli ex his dedisse manus. Ita enim te ex ludo nostro esse magis docuisti, quam si vulgares fabulas sectatus esses, mirumque in modum plus placuit silentium tuum, quam filiorum meorum cæterorum crebriores literæ, quibus consulto respondere intermisi, ne innecteremus inextricabiles nodos, fieretque quotidie inanis literarum vicissitudo minime gravitati loci conveniens, quem teneo. At vero ubi quorumdam exagitatus literis scribere compellor, neminem ex omnibus delegi, ad quem mihi scribendum esset, quam tibi. „

Alia epistola ægrotantem consolatus, ei pristinam recuperanti valetudinem mandat, ut quædam Opuscula e Græco in Latinum a se conversa transcribat: „ Ex literis Nicolai nostri certior factus, te periculoso morbo tentatum, & misericordia Dei liberatum, gratulatus sum & ex corde egi gratias Christo, qui te nostræ consolationi reservavit. Te autem, fili carissime, moneo, ut hoc Domini tui flagellum ita amplexeris, ut proficias ex eo ad æternam salutem tuam. Ita vivas caute, sic religiose, sic pie, ut memineris semper novissima tua. Et quoniam scripseram ad te ignarus infirmitatis tuæ, commendaramque negotium transcribendorum quorumdam ex Opusculis a nobis traductis pro domino legato

„ no-

„ nostro, si adhuc rediisti in vires, oc-
„ cupationem illam, quam *Nicolao* nostro
„ tecum esse communem volo, assumas,
„ eurefque diligentissime transcribenda,
„ quæ tunc notavimus tibi. Pecunias ne-
„ cessarias *Cosmus* impendet, cui etiam ista
„ de re literas scripsimus, atque ad eum
„ ipsa etiam Opuscula manu legati ipsius
„ signata misimus. Dici non potest, quan-
„ to studio votis ejus fatisfieri cupiam,
„ quia & amicissimus est, & magni pre-
„ tii, nobisque observandus & in primis
„ deditus. Dionysium solum omittetis,
„ quia neque facile haberi is posset, &
„ ei a nobis extrema, ut dicitur, necdum
„ est imposita manus.„

Extant aliæ *Ambrosii* epistolæ ad *Michaelem* de rebus literariis, scriptæ, quas iste, ut longe maximi eas facere videretur, cum aliis *Ambrosii* epistolis in unum collegit volumen, cui hoc proœmium præfixit.

Prologus Michaelis Monachi in libros Epistolarum Ambrosii ad Cosmum Medicem.

„ Exegisti a me sæpenumero pro tua
„ in me benevolentia, *Cosme*, nostræ ci-
„ vitatis decus atque totius Latii & vir-
„ tutis & nobilitatis amplissimum orna-
„ mentum, ut nostri *Ambrosii*, viri per
„ omnia integerrimi, & nostra ætate, cum
„ latinæ tum græcæ & hebraicæ linguæ
„ apprime eruditissimi, epistolas passim per
„ orbem fere universum dispersas corpus
„ in unum concluderem. Ajebas enim
„ cum constet doctissimos viros, qui &
„ sapientia divina & externa mundo cla-
„ ruere, habuisse nonnullos, qui dictata
„ eorum memoriæ & literis summa cum
„ diligentia mandare curarunt: cur non
„ æque & nos, quibus post tot &
„ tam præclara ingenia non defuere viri
„ in omni dicendi genere & eruditione
„ admodum exercitati, illorum exemplo
„ provocati, quicquid summo negotio,
„ & subtili ingenio edidere, literis com-
„ mittere posterisque nostris legendum om-
„ ni studio tradere fatagimus? Omitto
„ in præsentiarum narrare viros doctissi-
„ mos temporum nostrorum: ad *Ambro-*
„ *sium* nostrum oculos dirigamus, cujus
„ ingenium, facilem dicendi copiam, at-
„ que eruditionem quis unquam merito
„ exprimere, atque laudare posset? Sunt
„ enim apud nos opuscula plurima, &
„ quædam alia, quæ ob incuriam imperi-
„ torum deperiere, in Romanam linguam
„ magna profecto cum venustate per eum
„ de græco turbine conversa; alia vero
„ ex proprio ingenio elucubrata, ob pe-
„ nuriam notariorum qui illa colligerent,
„ in manus plurimorum collapsa atque dis-
„ persa non ignoramus. Ne igitur tam
„ pretiosus thesaurus absconditus ac fer-
„ me sepultus abjectusque negligatur a
„ nobis, in te solum, qui a teneris an-
„ nis illius mores, vitam, doctrinamque
„ sectatus es, meæ mentis oculos conjeci,
„ ut veluti industrius negotiator tanti vi-
„ ri pretiosissimas minutias in unam com-
„ pagem colligas, atque componas. Fa-
„ cies profecto rem gratissimam, cum his
„ qui ejus absentiam moleste ferunt, tum
„ literarum studiosissimis, qui ex sua elo-
„ quentiæ venustate plurimum emolumenti
„ sibi vindicabunt. Cum ergo tacitus fi-
„ xis in terram obtutibus hunc virum ta-
„ liter mihi loquentem intenta aure per-
„ ciperem, vehementer obstupui: & nisi
„ paulisper sua lenitate ac mansuetudine
„ animi mei pusillanimitatem roborasset,
„ procul dubio contabuissem, & mutus ac
„ elinguis effectus essem. Responsionem
„ utique meam paulisper tamen distuli,
„ & quid fari deberem prorsus ignora-
„ bam. Quippe paupertatis ingenii mei
„ conscius, suspensus, & hærens permansi
„ pluseulum temporis. Tandem paulisper
„ oculos erigens, & humilissimi viri præ-
„ sentiam intuens, voce submissa virum
„ tam præclarum cœpi alloqui: Rem pro-
„ fecto arduam ac difficilem, *Cosme*, in-
„ jungis: quippe ego ex instituto meo in
„ monasterio clausus, cum vagari pro mei
„ habitus honestate non liceat, quanam
„ tandem ratione de manibus tum doctis-
„ simorum tum imperitorum extorquere
„ aut emere potero memorati *Ambrosii*
„ epistolas? Fretus tamen ope & auxilio
„ tuo aggrediar, quod injungis. Si quid
„ vero præposterum offenderis, veniam da-
„ bis: quia non eodem tempore ad me
„ illæ delatæ sunt, & ob id suum servare
„ ordinem minime porui. Leges eas ta-
„ meo attentius, vir clarissime, quia ex
„ earum lectione addisces vitæ illius san-
„ ctimoniam, constantiam in adversis, hu-
„ manitatem quoque viri procul dubio sin-
„ gularem. Accipies igitur exiguum mu-
„ nus ab animo profectum tibi deditissi-
„ mo, utque tui profecto in me amoris
„ sit perpetuum monumentum.

LXIV.

MICHAEL de MONTE-PHIASCONIO.

Michael de *Monte-Phiasconio*, Abbas Vallis Castri epistolam scripsit ad S. Quirici Oppidanos de Corpore S. Romualdi integro, atque intaminato reperto anno 1466. part. 2. l. 3. c. 27. p. 140. Aliam scripsit ad Maurum Lapium, Florentinum Monachum, qua ad S. Romualdi corpus anno MCCCCLXVIII. a peste sanatam Lucretiam Petri Medicæi magnifici viri conjugem scribit. Extat Venetiis in S. Matthiæ Murianensi Cœnobio. Typis vero vulgata fuit ab Aug. Flor. l. c. l. 2. c. 29. p. 144.

LXV.

NICOLAUS BIADI.

Nicolaus Biadi, Prior S. Benedicti extra urbem Florentiæ Historiam fundationis Camaldulensis Eremi inter aliarum Religionum origines traditam monumentis reliquit. Vid. Grandum Differt. III. cap. 5. n. 4. p. 65. quo etiam teste l. 1. n. 8. p. 68. ejusdem historiæ apud Moniales S. Joannis Evangelistæ de Prato-veteri existentis meminit Sylvanus Razzius in descriptione Sacræ Eremi cap. 2.

LXVI.

NICOLAUS MANERBIUS.

Nicolaus Manerbius, al. *Malerbius*, *Malermus*, Venetus, Abbas S. Michaelis de Lemo, deinde S. Matthiæ de Muriano, vir pietate & doctrina eximius, *Vitas*, sive *Legendas Sanctorum* in Italicum traduxit idioma; quibus plures alias proprio marte compositas intexuit. Excusæ fuerunt Venetiis 1475. in fol. typis Nicolai Jenson natione Galli. Vid. Hier. Bardinm in Historia Victoriæ Navalis pag. 121.

Abbatis *Manerbii* versio Veteris & Novi Testamenti Italica inter eas, quæ hodie legi solent, antiquior est, paucis visa, quam excuderunt sæpius Veneti, nempe An. 1471. & an. 1477. per Petrum Trevisanum in folio, cum præfatione Hieronymi Squarzafico, qui recognovit versionem, in eaque adornanda *Manerbio* fuit adjumento. Ex ejus assertione & sententia antiquioris ævi versionibus præferenda est, ac per omnia Vulgatæ Latinæ conformis.

Eadem Venetiis per Octavianum Scoti anno 1481. in fol.

Eadem Venetiis per Andream Paltasichium de Catharo an. 1484. in fol. In ista editione *Manerbius* se Abbatem Monasterii S. Michaelis de Lemo vocat.

Eadem Venetiis per Joannem Rosso Vercellensem, rogatu Lucæ Antonii Giunta an. 1494. in fol.

Et alia vice, incertum, cujus typis, sine anno & loco.

Editionis de anno 1507. & 1541. meminit Fabricius Bibl. Græc. lib. 4. c. 5. pag. 197.

Iterum Venetiis per Hieronymum Scoti an. 1565. in fol. & ibidem ultima vice an. 1567. in fol. recognita, ad majorem adducta perfectionem, & excusa cum facultate sacræ Inquisitionis. Vide Lelonghium in *Bibliotheca Sacra* Parisiis edita.

LXVII.

ODOARDUS MARIA BARONCINUS.

Odoardus Maria Baroncinus Patricius Florentinus Eremita Camaldulensis, postea Cortonæ Prior, Vir eruditissimus, paginas, membranas, volumina sacræ Eremi, summa diligentia, ac solertia discussit, examinavit, in ordinem redegit, indicibus copiosissimis, ad expeditam eorum inventionem illustravit. Est vero Camaldulense Archivum integrum, illibatum, nec flammarum, nec bellorum, nec prædonum, nec alluvionum discrimen hactenus passum. Vid. Guidonem Grandum Diss. III. Camald. cap. 5. n. 5. p. 65. & 66. Sacræ Eremi Historiam etiam ex laudatis chartis conscripsit, perduxitque ad nostram usque ætatem, quæ Msta adservatur in S. Eremi Bibliotheca. Obiit hic Asceta religiosissimus octuagenario major, ac eruditionis præstantiam magna cum pietate conjunxit.

LXVIII.

PAULUS CANALIS.

Paulus Canalis Patricia familia Venetiis natus Camaldulensem habitum jam grandævus accepit in Monasterio S. Michaelis de Muriano anno 1508., ubi post viginti duo dies repentina febri sublatus est. Paulus Orlandinus vir doctissimus eum tanti faciebat, ut rogarit Paulum Justinianum, sicut ex ejus epistolis habemus,

mus, ut Petri Quirini & Pauli Canalis *vitam obitumque cum clarissimis eorum gestis ad honorem & decus Religionis nostræ literis comendaret*. Erat vir græce & latine doctus, sed quæ scripsit nos ignoramus, cum desiderium Pauli Orlandini vel incassum cesserit, vel Pauli Justiniani opus deperditum sit. Aliqua tantum ejus Epigrammata Italica supersunt in Bibliotheca S. Mich. Muriani.

LXIX.

PAULUS JUSTINIANUS.

PAulus Justinianus Venetiis ex illustrissima Justinianorum familia anno MCCCCLXXVI. natus, is erat, in quo plane omnia perfecti Eremitæ Camaldulensis fuerunt; nullus hinc inde per urbes & opplda discursus & divagatio, nulla loquacitas & garriendi libido, nulla segnities, otium, & ab opere cessatio, nulla ingluvies atque edacitas, nullus torpor & acedia; sed solitudo cum recessu & inviolati silentii observantia, labor & opus manuum, corporis per inediam & abstinentiam, sed discretam castigatio, jugis oratio, meditatio, rerumque divinarum contemplatio. Quarum virtutum præsidiis munitus ad novam Eremitarum S. Romualdi Congregationem fundaudam animum appulit; cui Societati, quæ postea Congregatio Montis Coronæ nomen accepit, summo sane ornamento ac gloriæ est, tantum habuisse parentem & Institutorem; nam uti nobilissimæ & antiquissimæ prosapiæ Patritius Venetus erat, ita semper vir excellenti doctrina, singulari prudentia, peracri ingenio, firmo indicio, atque excelso animo præditus habitus est. Quas animi dotes vitæ sanctimonia, ac prodigiorum gratia majori adhuc splendore perfuderunt, ita ut alter propemodum *S. Romualdus* esse videretur. Ad Superos excessit die 28. Junii anno MDXXVIII. ætatis suæ quinquagesimo secundo. De ejus Beatificatione Romæ in præsentiarum agitur, quo nempe Congregationi Montis Coronæ suum Fundatorem anniversario die, ritúque legitimo venerari liceat.

S C R I P T A

Eorum Catalogum magna cum diligentia texuit Vitæ Scriptor, R. P. D. *Joannes Avogadro Tarvisinus*, & post eum Abbas *Augustinus de Floribus* Vitæ Epitomator cap. 27. Alia vero Opera sunt Latine alia Italice scripta. Similiter alia typis fuerunt mandata, alia nondum iisdem descripta in Archivis & Bibliothecis sacræ Religionis Camaldulensis, & alibi, asservantur.

Latino Sermone scripsit *Sacras Eremi Camaldulensis Constitutiones*: „ Cum enim istæ „ præ vetustate temporumque diversitate, „ ut Lucas Hispanus Erem. Hist. l. 2. c. 10. „ p. 69. perhibet, atque auctorum varie„ tate, vix jam inter se præ confusione „ cohærerent, obque multitudinem quid „ observandum esset, nullo modo consta„ ret: a Leone X. P. M. ordinatum ex„ titit, ut chaos istud in justum opus, & „ certum ordinem redactum foret. De „ quibus latius In ejusdem Leonis Bulla „ seu privilegio num. 222. apparet. Hoc „ itaque insigne munus, immo verius gra„ vissimum onus humeris Pauli impositum „ fuit, atque ei tamquam fidelissimo ido„ neoque Religionis ministro totius nego„ tii substantia commissa est, cum plena „ tollendi, mutandi, corrigendi, adden„ di, & juxta arbitrium suum reforman„ di auctoritate. Quod prolixum, diffici„ le, ac laboriosum opus, post longam „ recusationem, omnino invitus suscipere „ a Superioribus cogitur. Quo tamen su„ scepto, multa diligentia, atque labore „ ex infinitis determinata collegit, ex bar„ baris dedit latina: varia ac dissona, „ concordantia fecit: ex multis denique „ unum, certumque multa arte coaduna„ vit opus: quod quidem ex alienis, pro„ prium suo jure reddidit. *Opus*, inquam, „ *quod nec gravitate Hieronymo, nec facun„ dia Augustino, nec facilitate Gregorio ce„ dit, in quo & auctoris ingenium, artificis „ peritia, scientiæ magnitudo, & omnia pie„ tatis dogmata relucent*: Porro cum Del„ phino, bonisque omnibus mirum in mo„ dum placuisset libellus, eumdem non „ *Constitutiones* simpliciter, sed EREMI„ TICÆ VITÆ REGULAM appellari „ voluerunt: cujus originale manu ejus„ dem Auctoris scriptum, in sacræ Ere„ mi Montis Coronæ bibliotheca custodi„ tur: „ Porro hæ Constitutiones, teste Sylvano Razzio in Annotat. ad easdem cap. 19. p. 106. typis quidem anno 1520. impressæ fuerunt, sed non sine multis mendis, & erroribus typographicis.

Alterum Opus impressum est *Tractatus Obedientiæ*, numquam satis laudatus libellus, quem peritissimi quique Asceseos magistri tanti faciunt, ut eum non modo nulli librorum, qui de hoc argumento scripti publicam aspexerunt lucem, post-

ponant, sed plane præponant. Legi potest Patris *Guinigi* e sacra Prædicatorum familia docti Theologi præfatio, quam huic Tractatui non ita pridem a se typis commisso præfixit, & in qua cum Auctorem tum Opus ipsum miris exornat encomiis.

Tertium Opus excusum est Libellus sub nomine Epistolæ ad *Marcum Antonium Flaminium*, virum doctissimum missæ: ubi vera hominis felicitas, seu beatitudo, quæ sit, fusius perinde ac sapienter & diserte demonstratur. Hic libellus illi legendus est, qui multa peculiaria de B. Paulo Justiniano nosse cupit, inquit Silvanus Razzius l. 1. p. 263.

Quartum denique ac Latinum Opus typis datum est *Tractatus de Officio Pontificis ad Leonem X. Pontificem Maximum*.

Atque hæc sunt Opera B. Pauli Justiniani impressa: inedita vero tres in classes distingui possunt. Ad primum spectant, quæ completa & ad fastigium fuerunt perducta: Secundæ classis sunt, quæ partim imperfecta Auctor reliquit, partim ab iis, in quorum manus pervenerunt, neglectui habita, nec pro dignitate satis æstimata, disparuerunt. In tertia classe constituuntur, quæ quidem nunc desiderantur, sed olim a B. Paulo Justiniano elucubrata fuisse pro comperto habetur.

Tractatus completi & perfecti sunt sequentes.

1. Genesis Historiæ compendium usque ad Caput XLII.
2. Genesis litterales quæstiones usque ad Caput XXX.
3. Genesis Spiritualis expositio usque ad Caput XXVI. cum aliis novem Tractatibus, qui ad sacram Genesim pertinent.
4. Cogitationes quotidianæ de Amore Dei; sunt numero centum.
5. Cogitatio super illa verba: *Abnegare sua, & abnegare se ipsum*.
6. Cogitatio, seu Oratio post sumptum Sanctissimum Sacramentum.
7. Cogitatio super illud Psalmi: *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos*.
8. Cogitatio de Justitia & Misericordia Dei.
9. Cogitatio accedentis ad Sanctissimum Altaris Sacramentum.
10. Cogitatio, quomodo ad Deum possit peccator accedere.
11. Cogitatio, quomodo adhærere homo valeat Deo.
12. Cogitatio super Cellam.
13. Cogitatio de Solitudine.
14. Cogitatio de propria ingratitudine erga Deum.
15. Cogitatio super vers. Psalmi: *Et pavit eos in innocentia cordis sui*.
16. Cogitationes de Lectione, Meditatione, Oratione, & Contemplatione, quæ maxime decet Monachos.
17. Cogitatio in Psal. 59. vers. Super ea verba: *ut liberentur dilecti tui*.
18. Cogitatio super Psalmum 105. *Confitemini Domino quoniam bonus*.
19. Cogitatio super illa verba Cantici: *Et sanguinem uvæ biberent meracissimum*.
20. Cogitatio super verba: *Peregrinus & advena sum super terram*.
21. Cogitatio, quod ex lætitiis dolores, & lætitiæ ex doloribus oriuntur.

Isti Tractatus, qui inscribuntur *Cogitationes* non sunt nisi meditationes Auctoris supra prædictum argumentum.

22. Epistola ad quendam, exhortatoria ad patientiam.
23. Epistolæ ad quosdam dicentes: *non licere eo sæculo ad Eremum sine Cœnobii probatione transire*.
24. Epistola ad Quirinum & Theupolum, in qua vitam eorum juxta morem patrium actam describit, & modeste reprehendit.
25. Epistola ad Camaldulenses.
26. Epistola ad quosdam, quos revocabat ad vitam Eremiticam.
27. Epistola ad Cassinenses de laudibus vitæ Eremiticæ.
28. Epistola ad eosdem, ut celebrent Festum S. Romualdi.
29. Epistola ad Cardinalem Sedunensem.
30. Quæstio de Dæmonibus, An sint?
31. Apologia pro sui, & Fratris Petri Quirini defensione contra maledicentes.
32. Apologia ad aliquos, qui eum accusabant molientem reformationem Ordinis Camaldulensis.
33. Expositio Psal. 100. *Misericordiam & judicium cantabo &c.*
34. Expositio duorum versiculorum Psalmi 78.
35. Super Psalmum: *Laudate Dominum omnes Gentes*.
36. Super verba: *Convertere, convertere anima mea ad Dominum Deum tuum*.
37. Expositio in Psalmum 68. *Deus venerunt Gentes*.
38. Expositio in Orationem Dominicam.
39. Explicatio verborum: *Sanctorum Communionem*, ad quemdam Episcopum Cremonensem.

40.

40. Opusculum de Conversione animæ ad Deum.

41. Opusculum de quibusdam Hæreticis.

42. Opusculum de Christiana vita.

43. Opusculum de Præceptis, & Consiliis Evangelicis.

44. Opusculum de multitudine Salvandorum.

45. Opusculum de Genealogia Jacob, ex illis verbis: *Repulit Tabernaculum Joseph, & Tribum Ephraim non elegit*.

46. Opusculum de Christiana vita.

47. Opusculum de Religiosa vita.

48. Opusculum de Doctrina Christi.

49. Ad servandam cum omnibus charitatem.

50. Libellus de servanda charitate etiam cum Inimicis, divisus in partes V.

51. Alphabetum Psalmorum, in quo quædam notabilia declarantur.

52. Quod Psalterium sit metro scriptum.

53. Regulæ Eremiticæ.

54. Comparatio Regulæ S. Benedicti ad Regulas aliorum Sanctorum.

55. Quædam Regulæ Peregrinationis.

56. Constitutiones quædam pro Camaldulo.

57. Disputatio, quod S. Benedictus usus sit vestibus albis.

58. Disputatio de Tribus Magis.

59. Disputatio ad Leonem PP. X. quod ad Eremiticam vitam cuilibet Religioso licitum sit transire.

60. Consideratio, an liceat Monacho, & quibus de causis mutare locum & peregrinari.

61. Consideratio de Solitudine.

62. Consideratio de eo, quod SS. Apostoli manifeste tradiderunt credendum.

63. Consideratio in die Dedicationis Ecclesiæ ad seipsum relata.

64. Opusculum de Vita Heremitica.

65. Opusculum de Conversione animæ ad Deum per pœnitentiam.

66. Tractatus de Beatitudinibus Evangelicis.

67. Tractatus de Cognitione, & Amore Dei.

68. Tractatus de Divina propriæ præferenda voluntate.

69. Tractatus de Vita Solitaria, ad exemplum S. Mariæ Magdalenæ.

70. Dialogus de Vita Activa & Contemplativa.

71. Quod Mors sit optima, & non solum bonis, sed etiam malis bonam esse.

72. Quod non potest esse amicitia inter illos, in quibus non est Divinarum, humanarumque rerum consensus.

73. Quod unusquisque debet gratias agere Deo de communibus Beneficiis, ac sibi soli collata essent.

74. Quod Peccatori nihil magis conveniat, quam sua peccata cogitare, & flere.

75. Quod facile sit a Contemplativa ad Vitam activam descendere, sed contra ascendere, difficile.

76. Quod magis ædificat exemplum vitæ, quam admonitio.

77. Quod sit timenda revelatio de sibi propriis peccatis remissis.

78. Oratio præparatoria ad Psalmodiam.

79. Oratio, ut sciat uti divinis muneribus.

80. Oratio devota ad JESUM.

81. Recollecta annotatio qui scripserant contra Alchoranum.

82. Cognitio Calcedonensis Concilii.

83. Propositum in nocte Dominicæ Nativitatis.

84. Forma quædam Confessionis.

85. De vitæ præsentis consideratione, & scrutinio.

86. De præsentis vitæ exilio.

87. De impetrandis spiritualibus gratiis.

88. De injungenda pœnitentia peccatis.

89. De passione Domini.

90. Gratias agit Deo, qui se fecit dignum persecutionibus & tribulationibus.

91. Gratias agit Deo, quod se traxerit ad Eremum.

92. Pro Beneficiis receptis.

93. Pro sua Ordinatione in Sacerdotem.

94. Rursus pro eadem Ordinatione.

95. Conqueritur de nimio Prælaturæ onere, & petit auxilium a Deo.

96. Flet suas miserias & peccata.

97. Multa patitur, majora se pati debere confitetur.

98. De continua pugna carnis adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.

99. De tribus caussis, propter quas Dei voluntas posthabetur, & non fit.

100. De Vita Activa & Contemplativa.

101. Quomodo Vita Activa, & Contemplativa simul esse possint.

102. Flet tempora præterita male consumpta.

103. Cupit mori morte justorum.

104. Cogitatio de reditu Animæ ad Deum per pœnitentiam.

105. De Evangelicæ Doctrinæ perfectione.

106. De Sermonibus in Joan. Cassianum.

107. Quod non sunt virtutes, quæ virtutes videntur, nisi ad Dei gloriam referantur.

108.

108. Sermo super verba. *A fructibus eorum cognoscetis eos*.

109. Sermo de Nativitate Domini.

110. Sermo de Resurrectione Domini.

111. Quomodo verificetur, nos esse homines, & Christianos.

112. Super Librum Didimi de Spiritu Sancto.

113. Super Lib. IV. Origenis de Divinitate Christi, seu de Scriptura, quod a Deo sit.

114. Collecta Annotatio de illis partibus Sanctorum quatuor Evangeliorum, quæ aliquando leguntur, & de aliis iis, quæ numquam leguntur.

115. Parabola cujusdam Patris habentis duos filios, quos diversimode hæredes instituit.

116. Renovatio Votorum Religionis.

117. De Origenis admiranda Doctrina.

118. De callida Ruffini interpretatione.

119. Errores Libri Apologetici Eusebii.

120. Interpretatio allegorica membrorum JESUS Filii Dei.

121. Actus Fidei, & Spiritus Sancti invocationes, ac protestationes Fidei Catholicæ.

122. Accusatio sui ipsius, sed cum spe.

Tractatus in vulgari lingua conscripti sunt sequentes.

1. *Traduzione*, i. e. Versio Italica Operi S. Bernardi cui titulus: Ædificatio interior conscientiæ.

2. Epistola ad Luciam Sororem, quam docet, haud licitum esse, verba superstitiosa ad curandum morbum adhibere; qua occasione de superstitionibus diffuse tractat.

3. Relatio, quo modo Reliquias de Brachio S. P. Romualdi obtinuerit.

4. Epistola ad Casparum Contareuum pro expositione super Aggæum Prophetam.

5. Regula evitandi otium in cella.

6. Opusculum de situ & ratione vivendi in Eremo Camaldulensi.

7. Aliqua S. Ambrosii Opuscula ex Latino in Italicum idioma conversa.

8. Discursus, quod hisce temporibus non minus cognoscere, amare, & servire Jesu Christo possimus, atque Sancti Apostoli fecerunt.

9. De triplici imitatione Christi.

10. Epistola apologetica pro se ipso, cum esset captivus.

11. Scriptura Defensionis ad Legatum Marchiæ ejusdem cum superiore epistola argumenti.

12. Altera ad huuc ipsum Legatum.

13. Epistola ad Patres Camaldulenses.

14. Epistola historica de progressu Instituti primorum Cappucinorum.

15. Tractatus de tribus modis amandi, & de sex qualitatibus Amoris.

16. Epistola exhortatoria ad Nobiles, ut Religionem Camald. amplectantur.

17. Discursus quod vita solitaria sit magis activa, operosa, utilis, perfecta, & magis meritoria, quam altera quæcumque.

18. Epistolæ varii argumenti ad diversos.

19. Opusculum super Cap. XLIX. Regulæ S. P. Benedicti.

20. Discursus, quare anima ita difficulter orationi vacet mentali tametsi in ea majores gustet consolationes, quam in aliis rebus delectabilibus.

21. Instructio pro Novitiis in doctrina D. N. Jesu Christi.

22. Sermo de Passione Domini Nostri.

23. Sermones in Feriis Paschalibus.

24. Narratio de proprio itinere in urbem Jerosolymitanam.

25. Sermo I. de Conceptione.

26. II. De Nativitate JESU.

27. III. De Impositione SS. sui Nominis.

28. IV. De Adoratione Magorum.

29. V. De Præsentatione in Templo.

30. Sermo super verba S. Thomæ Apostoli: *Dominus meus, & Deus meus*.

31. Sermo super verba: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*.

32. Dialogus intra Rationem & Conscientiam.

33. Epistola ad D. Hieronymum .... exhortatoria ad Religionem, per modum Tractatus.

34. Tractatus de necessaria Christi Imitatione.

35. Instructio Eremitæ pro tempore ab hora in horam bene impendendo.

36. Dialogus intra hominem Civicum & Solarium supra Vitam Civicam, & Solitariam.

37. Opusculum inscriptum: *Secretum meum mihi*. Complectitur sex Sermones.

38. Primus super verba: *ad nihilum redactus sum, & nescivi*.

39. Secundus super illa: *Vivo ego jam non ego: vivit vero in me Christus*.

40. Tertius super illa: *Deus charitas est, & qui manet &c.*

41. Quartus super illa: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

42. Quintus super illa: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*.

43. Sextus super illa: *Certus sum, quia ni-*

nihil me poterit separare a charitate Christi.

44. Beatitudines Evangelicæ.

45. Epistolæ.

46. Discursus, super Vitam solitariam.

47. Tractatus veræ humilitatis, & perfectionis Christianæ, in duas partes divisus.

48. In prima agitur de superbia, & amore proprio Luciferi.

49. In secunda de Humilitate Christi, & Amore puro Dei in Deo.

Præter recensitos Tractatus habetur in Archivo Eremi Ruensis Liber in folio, notatus litera majuscula B. qui varii argumenti literas ad diversos scriptas complectitur; quas inter notatu digniores sunt tres ad Vincentium Quirinum datæ: in quarum una illum exhortatur, ut e Roma se proripiat, neque in promissæ Purpuræ Cardinalitiæ acceptationem consentiat. In altera animos illi addit, ut in concepto vitæ Eremiticæ proposito persistat. In tertia declarat, in quo vera Eremitica Conversatio consistat. In eodemmet Archivo asservatur volumen in folio, cruce signatum, paginarum centum. Hoc Epistolæ longissimæ in modum libellorum & tractatuum scriptæ continentur, in quibus primum B. Paulus Justinianus enarrat iter suum Venetiis ad Eremum Camaldulensem in Hetruria, tum tentationes a se exantlatas contra suam vocationem ad Religionem Eremiticam S. Romualdi. Hæ literæ scriptæ sunt ad amicissimos suos, Vincentium Quirinum, Joannem Baptistam Egnatium, & Gasperum Contarinum, & quosdam alios, exhortando tres priores momentis rationum efficacissimis, & quam doctrinæ, tam pietatis & prudentiæ plenissimis motivis. Præter duo prædicta volumina ibidem custodiuntur duo Tomi in 4. quorum unus litera majuscula A. signatus continet manuscripta Venerabilis Patris, sed quæ ex aliis libris & Auctoribus mutuavit. Alter litera majuscula E. signatus Opera S. Petri Damiani a dicto Venerabili Patre transcripta complectitur.

Syllabus Operum, quorum autographum vel non est completum, vel lacerum, vel alia ratione defectuosum.

1. Fragmentum suæ Hierosolimitanæ Peregrinationis.

2. Expositio super Psalmum 72. *Quam bonus Israel Deus &c.*

3. Expositio super Psalmum 25. *Judica me Domine &c.*

4. Cogitatio de propriis tenebris cognoscendis.

5. Epistola ad Regem Portugalliæ exhortatoria ut victoriam ab Infidelibus in India Orientali reportatam prosequatur.

6. Epistola ad Imperatorem Turcarum, qua ei sectæ Mahometanæ fœditatem, Christianæ vero Religionis pulchritudinem ob oculos constituit.

7. Epistola ad Rempublicam Venetam exhortatoria ad Pacem.

8. Epistola ad Gasparem Contarenum, quomodo obtinuit brachium S. Romualdi.

9. Confessio suorum peccatorum.

10. Cogitatio de Timore Dei.

11. Gratias agit Deo pro Beneficiis.

12. Quædam ex S. Hieronymo collecta ad probandum, Religionem securiorem esse ad salutem, quam sit secularis conversatio, contra quosdam.

13. Quædam de Martyrio Monachorum.

14. De Viduis.

15. Quædam super diversis Psalmis.

16. Utrum liceat dimittere Patrem pauperem propter ingressum ad Religionem.

17. Considerationes super illa verba: *Quærite Pacem, & operamini Justitiam.*

18. Circa Reformationem Monachismi propria opinio.

19. De erroribus in Joanne Cassiano.

20. Quædam de Intellectu, & Voluntate, circa Fidem, Spem & Charitatem.

21. Opusculum de cœlestibus gradibus.

22. De Confessione JESU Christi.

23. Quædam Collectio ex Sacra Scriptura pro sacra eruditione.

24. Disputatio de Adoratione Magorum, Christi fuga in Ægyptum, & occisione Puerorum.

25. Multa contra Hieronymum Savonarolam, & contra nonnullos hæreticos.

26. Quoddam Opusculum græco idiomate, & sermone scriptum.

27. De Discretione habenda pro instruendis varii generis hominibus.

28. Tractatus de illis, qui propriam Divinæ præferunt Voluntati.

29. Sermo in quinque Festivitatibus JESU.

30. Quod sint infeliciores & miserabiliores qui non cognoscunt, nec amant Deum.

31. Summarium Operum Sozomeni.

32. Quædam de Superstitione.

33. Quædam de accessu JESU ad Desertum.

34. Disputatio de Habitu albo & nigro, quinam sit præferendus.

35. De Interdicto.

36. Plorat Christianæ Reipublicæ miserias.

37. Super Psalmos 108. 120. 121.

38. Opusculum de Perfectione Vitæ Eremiticæ.

39. Relatio cujusdam visionis imaginariæ habitæ ab Auctore.

40. Dialogus, cur plerumque bonis mala, & malis bona contingant.

41. Sacrorum Decretorum Liber.

42. Consideratio, cur homo semper se excuset.

43. Consideratio de Religiosis divitibus, & commodioribus quam par est.

44. Sermo de pœnis Purgatorii.

45. Dialogus inter Paulum & Hieronymum.

46. Cogitatio super verba: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*.

47. Opusculum, Quid sentiendum de non perfectis Eremitis.

48. Sermo ad Eremitas viventes sine Regula, & Professione.

49. Petit propriam cognitionem a Deo.

50. Expositio super Psalmum 118. *Beati immaculati in via*.

51. Dialogus de vera hominis felicitate.

52. Expositiones variæ diversorum versiculorum in Psalmis.

53. De Pœnis Purgatorii non recusandis.

54. Quod tribus Votis Religionis, tribus tentationibus sæculi renunciamus.

55. De duplici otio, inerti & operoso.

56. Consideratio de temporis amissione.

57. Opusculum de Fide, Spe, & Charitate.

58. De Divinis Vocationibus.

59. Libellus ad Cassinenses Monachos pro Camaldulensibus.

60. Super verba: *Pacem meam do vobis*.

61. Sermo de Beneficiis Dei.

62. Sermo de propriis peccatis.

63. Sermo de mortis die.

64. Dialogus super factum acquirendi Reliquias Sancti Patris in Fabriano.

65. Expositio super Aggeum Prophetam.

66. Dialogus inter Petrum & Paulum.

67. Dialogus Chronologicus Ordinis Camaldulensis.

68. Tractatus de Intentione.

69. Intellectus, Voluntas, & Memoria servitio divino consecratis.

70. Varii Sancti, & Venerabiles Viri Solitarii.

71. Super Librum Job.

72. Discursus de Vita Solitaria.

73. Vita Prophetæ Eliæ.

74. Narratio de Fundatione quatuor Eremorum.

75. Epistola de hoc ipso argumento ad S. Cajetanum.

76. Tractatus de præcipuis exercitiis uniendi se cum Deo.

77. Discursus, quod vita solitaria præ aliis sit magis utilis.

78. Consideratio de quinque modis placendi Deo.

79. Summarium sex graduum Amoris.

80. Octo Gradus pertingendi ad perfectionem.

Hic vero Lector advertat velim, haud nobis satis incomperto esse, quænam ex his recensitis Opusculis sint Latino, quænam vernaculo sermone conscripta; cum Titulus sæpe sit Latinus Opusculum vero Italice compositum, & vice versa. Quod etiam de mox sequentibus notandum venit.

Opuscula tertiæ classis, quæ in Autographo non extant.

1. Quædam de Sectis, & oneribus Christianæ Vitæ, & Apostolicæ.

2. Epistola ad Sophim Regem Persarum, qua eum exhortatur, ut quo tempore Turcarum Imperator bello cum Christianis est implicitus, armis illum lacessat.

3. Expositio in Psalmum 90.

4. Sermo S. Joannis Chrysostomi de Oratione, latinitate donatus.

5. Super Lucianum.

6. Super Plutarchum.

7. Tractatus de Nomine.

8. De officio Pontificis ad Leonem X. PP.

9. Quædam Opuscula S. Hieronymi in Sacram Scripturam, a B. Paulo in Urbe Hierosolimitana transcripta, quæ alibi haud reperiuntur, ut ipse Paulus attestatur.

10. Tractatus de Pœnitentia.

11. Vis genuina Vitæ Eremiticæ.

12. Tractatus de Contemplatione.

13. Tractatus de Sancta Eucharistia.

14. Principium Vitæ Eremiticæ.

15. Tria genera Eremitarum.

16. Quod Vita Christiana consistat in Intellectu cum Fide, & Confessione, & in Voluntate per dilectionem, & opera bona.

17. De Perfectione Vitæ Religiosæ, super ultimum Capitulum Constitutionum.

18. De pio Obitu Fratris Quirini in Urbe Romana.

19. De Sancta ipsius, & admirabili Vita.

20. Quod exempla Sanctorum recentioris ætatis magis moveant, quam illorum, qui superioribus vixerunt sæculis.

21. De' diversi Eremiti, e de' miracoli da loro veduti, ed intesi.

22. Suo parere proprio intorno al Libro intitolato: *Vite de' Santi Padri*.

23. Che non sia laborioso, o distrattivo, ma dilettevole l'affaticare per Cristo.

24. L'Istoria dell'Ordine Camaldolese.

25. Se sia lecito immediatamente passare dalla Vita Secolaresca all'Eremitica.

26. Dell'uficiare in lingua volgare, sua opinione.

27. Delle sue Pellegrinazioni in Gerusalemme, Monte Cassino, e Fabbriano.

28. Come i sensi divertono l'intelletto, e la volontà seguita il medesimo intelletto; onde poi ne nasce, che dietro al senso se ne va la volontà.

29. Del Governo Monarchico, Poliarchico, e Aristocratico, con il Pontefice Leone X.

30. Alcune composizioni poetiche volgari.

Tantam, tamque ingentem lucubrationum, vim, copiam ac varietatem elaboravit Venerabilis Servus Dei B. Paulus Justinianus; & fere, quod obstupescas, omnia hæc Opuscula propria manu, nullius adjutus calamo ab anno millesimo quingentesimo undecimo ad annum millesimum vigesimum octavum conscripsit. Certos nos esse jubet R. P. Joannes Tarvisinus, Vitæ Auctor, quod si Scripta B. Pauli in unum congerantur corpus, ea facile Tomos decem non minimæ molis sint expletura. Rem sane demirandam, quod Eremita, Instituti sui observantissimus, exercitiis asceticis numquam non occupatus, suæque religionis negotiis, ut plurimum distentus, tantum scribere, tantumque lucubrare potuerit. Sed ea erat celeritate ingenii, ut finito Matutino scribendi Discursus Latini faciens initium, illum paginis haud paucioribus quam novem in folio, consignatum ante Nonam ad finem perduxerit; tametsi Horas recitare Canonicas, aliaque Exercitia obire Spiritualia minime prætermitteret. Jam vero incredibile est dictu quantam sibi sapientissimi, prudentissimi, atque doctissimi viri, quantam singularis eruditionis in omni genere literarum cum profanarum, tum divinarum, famam conciliarit. Quod Archiepiscopi Florentini de illius præstantia & excellentia esset judicium, illud in primis ostendit, quod in gravissimis fidei ac religionis Christianæ negotiis illum ad Concilium Metropolitanum semel atque iterum evocarit; nec fefellit Archipræsulis de se exspectationem, sed abunde implevit; cum enim cum Francisco Meleto, & Theodoro, seu, ut alii vocant, Theophilo, hæreticis congressus fuisset, eos fortissimis argumentis, quasi telis, confodit, prostravitque, ut de Hieronymo Savonarola nihil dicam in quo revincendo non est debilior inventus. Summa etiam perspicuitate, doctrina, & eruditione librum, *Nova Apocalypsis Amadei* inscriptum, jussu ejusdem Archiepiscopi confutavit. Quæ fama, unius Florentinæ civitatis terminis non contenta, Romam ipsam pervadens Summi Pontificis animum sic commovit, ut quo tempore, sub ortum Lutheranæ hæreseos, de Ordinum Regularium reformatione instituenda serio cogitare cœpit, B. Paulum hac super re & audire, & in scriptis ejus sententiam legere voluerit. Quid plura? Apud Gasparem Contarenum Purpuratum Patrem, longe doctissimum, qui omnium artium liberalium doctrinas animo suo, quasi area quadam comprehensas & inclusas habebat B. Paulus in maxima doctrinæ & eruditionis existimatione fuerat. Cujus rei indubio est argumento quod librum a se compositum, *Primæ Philosophiæ compendium*, honoribus B. Pauli inscripserit, reddita ratione in epistola nuncupatoria, quod id faciat ex desiderio, lucubrationem suam judicio & censuræ amici submittendi, qui *summæ eruditionis esset*; unde dicebat: *Quibus in rebus nullum puto magis nostris votis satisfacere potuisse te uno, qui omnium bonorum artium cum sis peritissimus ... Dabis igitur operam, primum: ut Libellum hunc nostrum recognoscas, emendes, & quidnam de eo statuas, me per literas certiorem facias &c.* Quibus verbis Contarenus declaravit, quanti doctrinam B. Pauli faceret, quæ tanta fuit, quam Pontifices, Cardinales, Archiepiscopi, Viri quique doctissimi, suspicerent atque laudarent. Fuit enim, teste Luca Hispano Erem. Hist. lib. 3. c. 16. p. 139. *doctrina plenus, verbo potens, calamo facundus, atque luculentus*. Is vero Lucas primus fuit, qui B. Pauli vitam in literas retulit; post quem idem sed longe diductius præstitit Joannes Tarvisinus, cujus opera usus Augustinus Fiori in synopsin redegit, atque Cap. XXVI. Scriptores bene multos eosque illustres adduxit, qui B. Pauli Justiniani in libris suis magna cum laude meminerunt, variisque exornarunt encomiis, cujusmodi sunt, quod fuerit: *Pater Eremitarum sui Seculi. Restaurator veteris Eremitici rigoris. Defensor perpe-*

tuus Austeritatis Eremiticæ. Archimandrita diligentissimus. Anachoreta strenuus. Auctor & Protector regularis observantiæ. Amator grandis sobrietatis & parsimoniæ. Homo Exstaticus, & alter Elias in Eremo, & in Desertis. Singulare exemplum, & lumen clarissimum regularis observantiæ. Norma Religionis, & Speculum omnium virtutum. Dux peritissimus in via salutis. Miles, Athleta, & Pugil in militia regulari peritissimus. Verbo: *Alter S. Romualdus.*

LXX.

PAULUS ORLANDINUS.

Paulus Orlandinus, civis Florentinus, Monachus S. Mariæ de Angelis, omnibus Congregationis suæ dignitatibus summa cum laude defunctus est. Bonarum enim literarum disciplinis apprime fuit eruditus, Orator Græcæ Latinæque linguæ disertus, Decretorum Doctor, & rerum divinarum scientia clarus. Is, ut referunt seniores, memoriæ excellentia præstitit singulari, adeo ut sacros Canones omnes memoriter teneret. Unde non mirari solemus, quod Concionem, quam *Basilius* in Capitulo egerat, statim verbotenus rescripsisset, a *Petro* Generali fuerit laudatus. Retulerunt etiam mihi seniores Veneti (loquor verbis *Augustini Florentini*) quod cum Paulus esset Abbas Carcerum, contigit, illum Venetias adnavigare oneraria cimba vectum. Aderant ibi præter cœteros quidam scholares: quorum unus, dum cimba vehebatur, orationem suam, quam proxime Patavii erat habiturus, exercitii gratia recitare cœpit, & absolvit. Qui cum gloriabundus mox Paulum incognitum, quid sibi de sua oratione videretur, interrogaret, putans Monachum Latinas non habere literas, & Abbas principio nihil responsi daret, deinde insolentius nimirum irritatus ridere cœpisset: sciscitatur juvenis, cur sic rideret? Cui denique intulit Abbas. Ridebam, quia tu meam Orationem recensuisti. Tunc scholaris in pedes assurgens, quid sibi vult (inquit) iste virulentus frater? nec desinebat religiosum virum contumeliis lacessere. Sed *Paulus* adhuc magis eum stimulare volens; auscultare omnes, qui aderant, eandem Orationem, quam ipse quoque recensere paratus esset, placidissimis verbis rogabat. Tunc conclamante omni multitudine, fiat, fiat, ipsoque juvene annuente; repetivit illam *Paulus* tanta memoriæ felicitate, ut juvenis, qui eam elaboraverat multis vigiliis, in amentiam verti cœpisset. Sed *Paulus* illi dat manum, bono æquoque animo esse hortatur, & quomodo id ex naturæ memoriæque beneficio fecerit, aperte professus est. Quocirca juvenis cum omni multitudine illa Abbatem miro honore afficientes, in omni illo itinere prædicare non cessabant; probato experimento, quod cucullati non quidem virulenti, nec literarum imperiti sunt; quemadmodum vulgus autumat ignobile. Fecit verba *Paulus* in residuo itinere de excellentia memoriæ, Senecæ potissimum exempla citando; nimirum qui duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebat; & ab his, qui ad audiendum Præceptorem convenerant, plura quam ducenta carmina data, incipiens ab ultimo, referebat retrogrado ordine. Referunt item *Paulum* dum ageret Abbatem S. Michaelis Muriani, quadam die ad S. Joannis & Pauli Venetiarum ivisse, ut quasdam disputationes audiret. Ibi autem cum quidam frater ex mendicantibus, sub finem fere disputationum, illum interrogasset, an arguere vellet, ut creditum est per contemptum, & *Paulus* libenter se id facturum respondisset, si substentanti placeret, substitisse ad ejus vocem omnem conventum, *Paulumque* quasdam solutas Theologicas conclusiones rursus in altercationem & revocasse & impugnavisse tanto doctrinæ flumine, ut Patritii Veneti, qui aderant, ipsum ad S. Michaelis, quasi triumphantem, suis gundulis comitati sint. Perhibent *Paulum* eandem virtutem sæpe quoque ad Angelos in aliis disputationibus ostentavisse; ubi denique hydropisi laborans, quievit in pace 12. Novembris 1519.

Plura evulgavit, lectu dignissima, non tamen impressa, videlicet

Disputationes in Epistolas ad Paulinum in 24. libros distributas, quarum initium est: FRATER AMBROSIUS.

De conjuncta Theologia in Dialogos. Lib. III.

De separata Theologia. Lib. I.

De mixta Theologia. Lib. I.

Sermones 32. quos habuit in solatium quotidianum Monachis suis ubique locorum. Lib. I.

Translatio Corporis S. Apollinaris Archiepiscopi & Martyris sub Julio, felicis recordationis Pontifice Optimo Maximo, facta ab illustrissimo & reverendissimo Cardinale Gothenio, tituli Sanctorum duodecim Apostolorum Congregationis Camaldulensis Protectore. Titulum hunc subsequitur *præfatiuncula*, sive

epi-

epistola proemialis de dicta Translatione, in qua frater *Paulus Orlandinus*, abbas S. Michaelis de Muriano, reverendo domino *Paulo de Laude*, abbati Classensi bene merito S. P. D. qui, sicut habes num. 24. *præsens*, inquit, *sui universorum bajulus, & minister*. *Deum ipsum in testimonium advocans &c.* Hoc instrumentum ex Codice Vatic. n. 5835. id est, parte 1. Scriptorum Joannis Petri Ferreti Ravennatis Episcopi Lavellinatium, de quo agit Ughellus Italiæ Sacræ tom. 7. a col. 1007. transcriptum inseruerunt Actis S. Apollinaris Ep. & M. eruditissimi Hagiographi Antuerpienses S.J. Historiæ translationis ejusdem S. M. & E. tomo V. Julii die XXIII. part. IV. Totum vero Instrumentum tribus continetur Capitulis pag. 370-374. Videri etiam potest Augustinus Florentinus Hist. Camald. part. 2. lib. 4. c. 18. pag. 184. ubi, interfuit, inquit, Translationi Paulus Orlandinus Vicarius Generalis Congregationis, qui seriem actæ Translationis postea longa epistola ad *Paulum Laudensem* Abbatem Classis recensuit.

Opus Eptaticum, quod MS. in Bibliotheca Monasterii Angelorum asservatur. Inscriptum est Antonio Puccio, Episcopo Pistoriensi & Nuncio Apostolico ad Helvetios. Argumentum est de virtutibus, & de triplici Theologia, conjuncta, discreta, & mista, de interpretatione Scripturarum sanctarum contra vanos ariolos: e quibus arguit nonnullos, qui jactitabant, anno Domini MDXXX. Antichristum esse prædicaturum, & Ecclesiam Catholicam penitus exstinguendam: quorum hominum probationes vanissimas esse demonstrat. Agit vero præcipue contra quemdam astrologum Cremonensem, & contra alium Florentinum, qui *Franciscus de Mileto* vocabatur, duosque præcipuos conscripsit libros, quorum alteri *Convivium*, alteri *Quatrivium* titulos dedit. Porro *Orlandinus* auctor in eo refutando, ait se Theologorum Parisiensium more, decem ejus argumenta proferre, ac postea totidem regulas, quibus *Mileti* argumenta refutantur. Ita Opus *Heptaticum* in suo Itin. Italic. pag. 170. recenset Jo. Mabillonius qui oculis illud inspexit.

Partes Astrologi Cremonensis tuendas suscepit *Franciscus Arisius Cremona Literata tom. 1. p.* 403. ubi hæc scribit: Anonymus Cremonensis Astrologus floruit circa annum Domini 1500. vel paulo ante, Quem acrius impugnavit Paulus Orlandinus Abbas Camaldulensis, suique Ordinis Vicarius Generalis in *Libro Satyrico contra Astrologos*. Qui est Opus sextum *Eptatici*. Eptaticum istud servatur MS. in Bibliotheca Angelorum Florentiæ, ejusque præter alios meminit V. C. *Jo: Mabillonius in suo Itinere Italico*. Ut vero in tenebris omnino non delitescant, tum quæ Anonymum hunc scripsisse, tum occasionem, quam eum calamo castigandi habuisse Orlandinum, licet inferre ex hujus Opere, hic nonnulla subjicio ex Eptatico MS. excerpta. Tractatus itaque hujusmodi inscribitur. „ Eptatici opus „ sextum liber Satyricus contra Astrolo- „ gos: ad Dominicum Maurocenum D. „ Marci Procuratorem. *Incipit vero*: Fr. „ Paulus Orlandinius, Vicarius Generalis „ Congregationis S. Michaelis de Muria- „ no Camaldulensis Ordinis, Magnifico & „ Generoso Viro, & D. Marci Ecclesiæ „ Procuratori celeberrimo S. P. D. Cum „ accessisses nudius tertius ad nostrum S. „ Michaelis de Muriano Cœnobium, Ma- „ gnifice Domine, simul & præclara ani- „ mi tui virtute coram Rev. Abbate, „ aliisque nonnullis hujusmodi Monasterii „ Fratribus obtulisses nobis Cremonensis „ cujusdam Astronomi schedam quampiam, „ ea utique perlecta, quid ego super il- „ lam sentirem continuo me interrogasti. „ Ego vero &c. „ deinde absoluta Epistola ad Maurocenum sequitur.

„ Cap. primum Argumentum totius O- „ peris. Cum autem pagella Cremonensis „ hic de compluribus passim agat, ne quid „ supervacaneum, atque indecens hic a „ Nobis interponatur, Tetragonum effin- „ gemus quempiam, simul ac rem omnem „ in actus ferme quatuor dividemus, ut „ constet quid sit id, de quo a nobis in „ præsentia disputetur. Is igitur tandem „ Astronomus abhinc decennium compo- „ suit, in suis climatericis judicium quod- „ dam, in quo ipse principaliter agit „ de Adventu Antichristi, atque idcirco „ de novissimo die, dicens anno Domi- „ ni 1505. Antichristum nasci debere, & „ anno 1530. eumdem esse cunctis genti- „ bus manifestandum ad efficiendam Reli- „ gionem illam, quæ sub Planeta Lunæ „ constituta sit, quemadmodum & Reli- „ giones qualibet sub planetis suis. Di- „ cit insuper Antichristum ipsum de Vir- „ gine esse nasciturum; quoniam scilicet „ mater ejus etiam post partum Virgo „ permanebit, concipiet autem illum ex „ incubo dæmone, ut Merlinus fuit a „ sua Matre conceptus. Hæc est ferme

„ summa rerum ex libello illios . Qua
„ super &c.

Præstantissimis sui ævi , doctissimisque Viris accenseri mire potest Orlandinos portentosæ prope memoriæ vi , pietate , literisque gravioribus nedum , sed Poeticis etiam excellentior , ut celebratur *ab Abbate D. Petro Canneto Amico meo in Bibliotheca Camaldulensi M. S.*

Quinam fuisset iste Cremonensis Astrologus , operæ pretium esset acu rem tangere . Verum quia enarrata ad dedecus magis quam ad ejus gloriam exscripta videntur, satis est id pandidisse ; nihilo secius ut meo instituto morem geram , hunc Astrologum tali affectum calumnia *Baptistam Plasium* fuisse arguerem , de quo supra ad annum 1483. facta est mentio . Hic enim Venetiis circa eam tempestatem admodum notus illuxit : Quippe ille fuit, ut legimus , qui Francisci Foscari Ducis a Reip. summa dignitate nonnullos aurea menses depositionem præviderat .

Hanc igitur planissime dixi calumniam , non quidem ab *Orlandino* , utpote Viro candidissimo , contexram, sed ab Æmulis, ac Invidis Plasio somniatam , ac commentitiis figmentis inventam , ut tanti Scriptoris gloriæ detraheretur , cum schedam ab Abbate Orlandino allegatam quilibet effingere posset , ac nomine Cremonensis Astrologi inscribere : de hoc porro, ut meo veridico more loquar , non constare individualiter affirmo : ergo de ea ab Auctore Cremon. & saltem a Plasio composita justa nequit adferri sententia . Arqui Plasium Virum suis scriptis celeberrimum de tam celeri Antichristi adventu judicium promere indubitatum , astronomicis studiis voluisse , perdifficile , quinimo impossibile mihi suadeo . Hocusque *Arisius*.

Carmina Paoli Orlandini MS. in Bibliotheca Monasterii Angelorum Florentiæ asservantur, teste Guidone Grando Diss. III. Camald. cap. 4. n. 14. p. 59. ubi eorum unum affert sub hac epigraphe : *Ad Sanctum Romualdum Dormientem in Visione sua* , quod sane non inelegans est.

Fertur etiam quædam alia edidisse, quæ ad manus Reverendissimi Antonii de Puccis Cardinalis pervenerunt , ut ejus studio & sumptibus formis excuderentur , ad mortalium tamen notitiam numquam pervenerunt. Vid. Mich. Poccianrios in Catal. Script. Florent. pag. 142. Arnoldus VVion in Ligno Vitæ de Script. Camald. l. 2. c. 28. Augult. Flor. in Hist. Camald.

LXXI.

PAULUS SURIANUS.

PAulus Hieronymus Surianus Jacobi filius Ariminensis sacrum induit Camaldulensem habitum in Monasterio S. Matthiæ , assumpto Pauli nomine die 2. Julii anni 1505. cum esset ætatis annorum circiter triginta septem, & Medicam artem summo plausu profiteretur . In Congregatione vixit ad annum 1523. quo obiit Romæ Vicarius Generalis Congregationis . Plurimum ille Typographicam artem in Italia juvit , edendo , castigando , scribendo & colligendo sua , alienaque opera Philosophica & Medica . Scripsit

I. *In Hippocratis Aphorismos*.

II. Collegit *sententias Galeni & Avicennæ* quas correxit & digessit .

III. *Continens Rasis* , quod duobus Voluminibus in fol. impressum est Venetiis apud Bernardinum Benalium 1509.

Edidit castigavitque .

IV. *Albertuccii Quæstiones in Aristotelis libros de Cælo*.

V. *Apollinaris in Aristotelis Posteriora*.

VI. *Pauli Veneti in Aristotelis libros de Anima*.

VII. *Gentilis Gentilis expositiones cum textu Avicennæ*. Venetiis apud Octavium Scotum 1484. 1486.

VIII. *Jacobi de Forolivio Opera omnia*.

IX. *Averrois Opera*.

X. *Avenzoar Lib.*

XI. *Galeni Opera omnia* , quæ secunda fuit Galeni editio .

XII. Scripsit quoque *Rhytmicas sequentias Antiqui Missalis Camaldulensis*.

LXXII.

PETRUS BENINCASA.

PEtrus Benincasa Liernæ in Clusentino natus vir fuit ad studia tam suaviorum, quam graviorum Musarum factus . Imbecillis fuit corporis , mentis tamen assidua lectione excultæ . Petro Delphino fuit acceptissimus, qui per quadraginta fere annos amicitiam Petri literis coluit , illumque laudibus celebravit . Prior Pratalis utilissimum scripsit opus cui titulus .

I. Flores Decretorum , Decretalium , & Clementinarum ordine alphabetico &c. Petro Delphino Camaldulensis Ordinis Generali . Extant MS. duobus voluminibus

in

in fol. in Biblioth. Sacræ Eremi.

II. Carmina in Pii III. Pontificis Maximi Inaugurationem, & in ejusdem obitum vulgavit, de quibus Delphinus Lib. 7. Epist. 85.

De Benincasa magna cum laude suis in carminibus meminit Paulus Orlandinus, cujus & Epigramma legitur præfixum T. I. Florum Decretorum &c.

LXXIII.

PETRUS CANDIDUS DE PORTICU.

PEtrus Candidus de Porticu, oppidulo Æmiliæ, sub ditione Magni Ducis Etruriæ Monachus S. Mariæ Angelorum Florentiæ in legendis Divi Hieronymi epistolis præ aliis suam addixit operam. Cum vero in earum lectione loca involuta, & non exiguis obsessa difficultatibus occurrerent, ita ut in ea penetrare, atque intelligentiæ tamquam oculis perlustrare non cujusvis esset, in iisdem evolvendis, elucidandis, atque hominum intelligentiæ aperiendis religiosum contrivit otium. Quas diligenter elaboratas enucleatasque animadversiones inscripsit.

Quæstiones super Hieronymi Epistolas.

Ut primum vero *Petro Delphino*, Ordinis Generalis sapientissimo, lectæ fuerunt, majorem in modum arriserunt: id quod sequens ejus epistola ad *Petrum* data declarat: „ Lætor sane, quod Eusebium nostrum „ fructuose apud te officio commendave- „ rim. Nam illectus tu virtutum illius „ odore, ineundam cum eo amicitiam du- „ xisti, & insuper pio munere confirman- „ dam. Spero futurum ei gratissimum *Opu-* „ *sculum Quæstionum tuarum super Hierony-* „ *mi epistolas*, & forte haud multo post „ parem tibi erit gratiam relaturus. Unum „ abs te voluissem; ut postquam transcri- „ bendum illud curasti; per temetipsum „ diligentius emendasses, castigassesque. „ Nam scriptoris incuria plurimis in lo- „ cis mendosus apparet. Ego partem li- „ bri, prout licuit mihi per occupatio- „ nes, his diebus accuratius perlegendam „ contendi. Et placuit mihi studium tuum „ in sacris voluminibus, probavique ad- „ modum lucubrationes monacho dignas. „ Natus tibi solus non es, & ideo mul- „ tis prodesse conaris, ut erudiens multos „ ad justitiam, fulgeas sicut stellæ in fir- „ mamento. Vale. Ex Fonte-bono die ter- „ tia Martii anno MCCCCXCVII.

Nescimus, quo potissimum tempore *Petrus de Porticu* in Cretam Insulam se contulerit, ut Græcas in ea literas addisceret. Reducto in Italiam, atque præclara græcorum librorum supellectili onusto, *Petrus Delphinus* (ep. 6. l. 5. apud Martene) scripsit, visurum se illos libentissime. Alia epistola (libri oblitus sum) eidem scribens, *didicisti*, inquit, *multo tempore Græcas literas: sic modo, ut appareat, non frustra te laborasse ..... ad divinarum studia literarum totum te transferas, totis viribus, tota corde converraris. Beati enim, qui scrutantur testimonia ejus, in tota corde exquirunt eum. Monachus es & Sacerdos, in iis versari te decet, in lege Domini sit voluntas tua, in ea meditare die ac nocte*. Morem monenti Petrum gessisse, certum est, nam Latinitati dedit *Conciones Chrysostomi*, & *Tetravangelium*, i. e. *Volumen quatuor Evangelistarum*. Item *Opusculum Cabetis Thebani*, quod Petro Generali nuncupavit, ditavitque moriens Monasterium Angelorum Florentiæ illustri librorum supellectile, qui variis doctis viris commodati periere. Vid. Aug. Flor. Hist. Camald. part. 2. lib. 4. c. 22. p. 191.

Idem *Petrus Delphinus* epistola apud Marthene 171. se negotiorum obrutum molestiis absentiam *Petri de Porticu* ægre tulisse, his verbis significat: „ Aberas tu præ- „ terea, Petre charissime, unicum cura- „ rum mearum solatium. Non libri abs „ te de more, sumebantur in manus, qua- „ rum assidua lectione die noctuque mœ- „ rentem ac tristem oblectare consueveras. „ Crescebat in horas singulas dolor tui de- „ siderio, nec ullam admittere consolatio- „ nem poteram.„

LXXIV.

PETRUS CANNETUS.

PEtrus Cannetus, Italus, Cremonæ, honesta familia natus, pueritiæ & adolescentiæ tempus in perdiscendis politiorum literarum disciplinis consumpsit, eo profectu, qui doctissimis etiam præceptoribus admirationi fuit. Sed cum adolescentem rerum mundanarum tœdium incesseret, iis valere jussis, in Camaldulensem concessit Ordinem, in quo ea virtutis, doctrinæ, ac prudentiæ dedit specimina, ut ad Abbatis eveheretur dignitatem. Præfuit pro more Ordinis, in quo Abbates Monasteriorum mutantur, Classensi, Perusino, & aliis cœnobiis. Patriæ suæ amantissimus æquo animo Franci-

cisci Philelphi Carmina, Urbi Cremonæ parum honorifica ferre non potuit. Protulerat Philelphus in sua Thalia distichon :

Nunc me cum totis laribus nebulosa Cremona

Excipit & Phœbum Castaliumque Chorum.

Qui carmen Canneto bilem in naribus ita concivit, ut in epistola die 55. Martii an. 1693. ad *Franciscum Arisium* data, hæc inseruerit: „ Quid ad hæc, mi Arisi? quid „ ad petulantiam hominis minime sciendam, qui Musas omnes, totumque Parnassum secum se vehere gloriatur? Qua „ vero de causa nebulosam dicat Cremonam, plane mihi non constat. Ipse quidem nebulo est, cui pariter ego & aliquid subderem, nisi crimen esset sævire „ contra mortuum, nec sufficerent, quæ „ de ipso scribit Gyraldus dialog. 1. de „ Poetis sui temporis. Longe plus Carolo „ Aretino, cui valde infensus fuit Franciscus Philelphus præstitisset, si in uno „ aut altero scribendi genere maturare „ quam sibi tantum arrogare maluisset. „ Franciscus Arisius, qui hoc Epistolæ fragmentum suo Operi intexuit, in epistola ad Lectorem Tomo I. præfixa, Cannetum vocat Amicum suum, summa eruditione, perspectaque ac probara doctrina dilectissimum. Quas laudes in ipsius Operis contextu non semel repetit.

Anno 1697. die 18. Dec. ex S. Severi Monasterio Perusiæ, cui tunc præfectus erat, ad Guidonem Grandum Florentiæ degentem, & in Angelorum Cœnobio S. Th. Lectoris munere perfungentem memorabilem dedit epistolam, qua morem illum novum, quo sine prævia probatione Cœnobitica omnibus ad ingressum Eremiticæ vitæ aditus patefactus fuit, ad ann. 1510. refert, unaque deplorat, hinc dirimendi socialis, ac narivi Monachorum & Eremitarum fœderis occasionem natam fuisse, officiis Rachelis & Liæ, Mariæ ac Marthæ commixtis invicem ac perturbatis. Fragmentum epistolæ exhibet Grandus Dissert. I. Camald. cap. 4. n. 12. p. 75. ubi Cannetum vocat Eruditissimum atque Eloquentissimum Virum.

Scripsit, teste Arisio Cremonæ Literatæ tomo 1. pag. 339. *Bibliothecam Camaldulensem*, quæ exstat in Bibliotheca Classensi. Optandum ut tanti ramque excellentis doctrinæ Abbatis literarius fœtus in dias luminis auras ad Sacri Ordinis Camald. gloriam & existimationem quamprimum proferatur.

Eodem Arisio attestante tom. 2. pag. 109. edidit *Epigrammatum Centurias*.

Item tom. 2. pag. 382. dicit, Cannetum edidisse *Miscellaneas Poeticas* an. 1687. Bononiæ vulgatas, in quarum Proloquio fuse prosequatur, qua ratione Academia *Informium*, cui in urbe Ravenna excitatæ literarum humaniorum ac moralis philosophiæ cultura curæ est ad Asceterium Classense Monachorum Camaldulensium translata *Concordium* nomen assumpserit. In tantæ Academiæ supremum decus prætereundum non est, inquit laudatus Arisius, ut quidquid eidem summæ laudis accedere potest, hoc anno labentis seculi 1700. dum hæc scribimus, ipsa obtinuerit; In hoc namque gloriosissimo cœtu, ut indicat Catalogus, editus anno præcitato 1687. efflorebat Eminentiss. *Jo: Franciscus Albanus*, qui proximis diebus, nono scilicet Kal. Decembris ad Summum Pontificatus apicem evectus Clemens XI. appellatus est.

Eximiæ etiam sunt laudes, quibus Abbas Cannetus in Diario Literatorum Italico an. 1710. condecoratur. Laudi nempe ipsi datur, quod animum adjunxerit ad Collectionem Operum omnium, quæ extant, maxime Epistolarum Ambrosii Camaldulensis adornandam, quibus annotationes recondita eruditione refertissimas præfixurus sit. Tom. 1. p. 450. Quæ Canneti Collectio quod lucem subinde publicam non viderit, nullam aliam nobis causam imaginari possumus, quam mortem, quæ plerumque magnis quibusque conatibus intercedit, quaque forsan interceptus fuit. Illud certum, quod secundum eam Collectionis designationem, quam Abbas Cannetus animo concepit, subinde Edmundus Marthene & Ursinus Durand e Congreg. S. Mauri Ambrosii Camaldulensis Epistolas, Præfationes, atque aliorum ad ipsum datas epistolas Collectionis Amplissimæ Tomo III. vulgarint.

Ejusdem Diarii Tomo XIII. art. 16. p. 485. Abbas Cannetus edidisse memoratur *Monumenta Genealogica nobilis familiæ Ravennatis de Guicciolis, qui & Catanei de Dutia, & Girondini & Calvi, nec non Guizoli seu Visoli appellati fuere*, in fol. pag. 18. sine nomine Auctoris Loci, & Typographi.

Plura, quæ Abbas doctissimus literis vel typis tradidit, meam effugiunt notitiam. Obiit vir doctissimus an. 1730. sacræ Religionis Abbas Generalis. Ejus partes tuendas suscepit pronuper Cl. *Bonifacius Collina* in Præfatione ad Poeticum suum Opus contra Scriptorem vitæ Abbatis *Guidonis Grandi* qui *Cannetum* contra verita-

tatem, etsi sine malitia, in reprehensionem vocarit.

LXXV.

B. PETRUS DAMIANUS.

B. PEtrus Damianus præcipuum Ordinis Camaldulensis Lumen, Decus, & Ornamentum fuit. Etsi vero Jacobus Laderchius, Congregationis Romani Oratorii Presbyter, Vitæ ejusdem Petri Damiani Scriptor, ex albo Camaldulensium illum expunxerit, eum tamen Vindiciis solide & erudite scriptis, præter alios, eidem restituit GUIDO DE GRANDIS *Dissertatione* in lucem emissa *De S. Petri Damiani & Avellanitarum Instituto Camaldulensi*, quæ inter ejus Dissertationes Camaldulenses ordine quarta est; ad quam etiam Lectorem remittimus.

Annus agebatur post natum Servatorem septimus supra millesimum, cum Petrus honestis, sed tenuis fortunæ parentibus Ravennæ ortus in lucem prodiit. A primis incunabulis multas tulit ærumnas. A matre, dicam an noverca? ob multiplicem prolem rejectus, fame sitique infans periisset, nisi ab eadem, persuadente alia fœmina, ad ubera receptus fuisset. Vix ablactatus erat, cum utroque parente orbatur. Ab eorum obitu frater natu maximus duxit uxorem. Hi conjuges cum pueri educandi provinciam suscepissent, adeo nullius curæ aut sollicitudinis affectus ipsi impenderunt, ut paulo ætate provectiorem porcis pascendis præfecerint. In quo vili servitio cum die quadam nummum reperisset argenteum, rationes secum inire cœpit, in quos usus potissimum expenderet. Equidem puero nuces, poma, bellaria arridebant, sed cum demortui utriusque parentis memoria animum subiret, sacerdoti dedit, ut pro animabus amborum sacrum faceret.

Sub hæc Damianus (hoc nomen erat alteri ejus fratri) Ravennam rediit, a qua plures annos abfuerat. Is Petri miseratus ærumnas, non in fratris modo, sed amantissimi filii loco habuit. Ex subulco literarum fecit alumnum, quas cum Petrus celeriter didicisset, sumptus suppeditavit, quo Faventiæ primum, mox Parmæ viris doctis Operam dare posset. Quod Petrus literis suis testatum facit, in quarum una *Ivonem* magistrum suum appellat. In illis igitur doctrinarum scholis atque officinis institutus, tantam sibi brevi tempore liberalium artium omnium cognitionem atque intelligentiam comparavit, ut eas subinde, applaudente tota Italia, atque incredibili auditorum frequentia docuerit. Ab eo tempore Petrus & divitiis & honoribus affluere; sed injuriarum, quibus a mundo agitatus fuerat, non immemor, ab ejus blanditiis abhorrens, inter rerum omnium affluentiam cœpit duriter atque inclementer se habere, corpori, ceu indomito equo frœnum imponere, juveniles ejus æstus gelidis undis extinguere, nuda latera sub veste splendida setosis ciliciis constringere, denique excussis mundi vinculis inter Camaldulensis Instituti Eremitas in Fontis Avellani Eremo latebras quærere, ibique e discipulo sanctioris vitæ Magister prodigiis coruscare. Sed his omissis ad literarum studia veniamus.

De his Vitæ auctor ita loquitur: *Qui* (Petrus) *nimirum dum cellulæ stationem rigida censura servaret, & post assuetum psalmodiæ, precum, atque orationum pensum sedula meditatione lectioni vacaret, tanta divinarum scripturarum scientia claruit, quanta sæcularium antea non claruerat.* Docuit ibidem Fratres suæ Eremi, dein Monachos Pomposianos a S. Guidone Abbate evocatus. Adjunxerat hic Abbas Eremum suo Monasterio ad normam instituti Camaldulensis, mortuus anno MXLVI. cum annos octo supra quadraginta Cœnobio Pomposiano præfuisset, ut Rubeus lib. 5. Historiæ Ravennatis tradit. Annis duobus apud Pomposianos qua docendo qua concionando exactis, ad Eremum Fontis Avellani reverti jussus est: atque aliqua illic quiete fruitus ad celebre S. Vincentii de Petra Pertusa monasterium, quod in Urbinati territorio situm S. Romualdus aliquamdiu incoluit, adjuncta eidem Eremo, ablegatus est, ut in eo pariter Scholastici atque Concionatoris munere fungeretur. In hoc cœnobio B. Petrum Damianum scripsisse vitam S. Romualdi post tria circiter lustra, postquam hic e vivis excesserat, idonei tradunt auctores. Mortuus vero est S. Romualdus Anno MXXVII. Hinc decimus quintus ab obitu illius annus convenit in annum Christi MXLII. qui erat vitæ Petri trigesimus quintus.

Creatus demum Eremi Fontis Avellani Prior, seu Abbas eam provinciam magna cum laude administravit, monasterii ædibus senium detraxit, Monachos ad pietatis & bonarum literarum studia exemplo incitavit, scriptis informavit, quodque immortali laudi ei tribuitur, primus omnium

nium horarium officium B. V. Mariæ instituit. Varias dedit epistolas ad Clementem II. Leonem IX. Victorem II. apud quos magnum gratiæ locum obtinuit. Sub Stephano autem IX. verius X. B. Petrus *obedientia præcepto coactus*, ut vitæ acta habent, Ostiensis Ecclesiæ Episcopus, & S. R. E. Cardinalis ordinatus est. Qua in dignitate constitutus fortiter schismati Benedicti Antipapæ restitit, ac Nicolai II. partes defendit. Qui deinde ab eodem Pontifice ad Mediolanenses missus, habita docta concione, Ecclesiam illam a duplici labe Simoniacæ & Nicolaitarum hæresum liberavit: qua de re legendum ejus Opusculum XXX. sub Alexandro II. qui antea Lucensis Episcopus, Anselmus vocatus, B. Petri Comes erat in Legatione Mediolanensi, periculosum schisma, a Cadaloo Pseudo-pontifice, Parmensi episcopo, conflatum compressit, variis de hoc argumento scriptis ventilatis. Cum solutos Romani Cleri mores indigne ferret, Romæ, ut ipsius verbis utar, cum iis vitam agere, a quibus adeo moribus dissidebat, multum abhorruit. Ægre tandem ab Alexandro episcopatu cedere permissus, in Eremum Fontis Avellani rediit. Non diu autem sacro frui otio datum est. Ab Alexandro variis est adhibitus legationibus; quarum forsan prior fuit ad Cluniacense Monasterium, cujus Abbas id temporis erat S. Hugo, quo petente vitam S. Odilonis conscripsit. Alteram legationem obivit ad Galliæ Archiepiscopos, in qua cum aliis Episcopis sententiam tulit in Reginaldum Monasterii S. Medardi invasorem, quam Alexander II. subinde confirmavit, atque executioni mandari jussit. Post hæc in Germaniam legatus prudentia sua Henricum Augustum in publico Romani Imperii conventu impedivit, ne Berthæ, quam conjugio sibi copularat, libellum repudii daret. In Italiam reversus Florentiam missus est, ubi causam Episcopi de Simonia accusati discussit. Occasione hujus episcopi Florentini celebratum est Romæ Concilium centum & amplius Episcoporum adversus Simoniacos: ubi & canone quarto statutum est, ut Clerici simul manducarent, & dormirent, bonaque in communi possiderent, quod Baronius an. 1063. num. 37. asserit *factum suggestione Petri Damiani, scriptis suis Alexandrum Pontificem ad hæc sancienda rogantis*: scilicet Opusculum XXIV. contra Clericos proprietarios. Circa annum MLXX. Henricus Archiepiscopus Ravennas in excommunicatione mortem oppetierat: quo sublato Petrus Ravennam, patriam urbem missus est, ut cives Ecclesiæ Romanæ conciliaret, & anathematis vinculo solveret. Re ex animi sententia confecta Faventiam abiit, ubi febri correptus Anno MLXXII. ad Dominum migravit.

Operosum foret, ea omnia testimonia, quibus res Petri præclare gestæ celebrantur, in medium afferre. Qui ea legendi desiderio tenetur Constantinum Cajetanum adeat, qui pleraque Operum Tom. I. initio congessit, alia vero Tom. III. initio dedit. Loco omnium nobis esse possunt Alexandri II. Romani Pontificis verba, quibus in epistola ad Gervasium Remensem, aliosque Galliæ Archipræsules Petri, Legati sui, laudes ita extulit, ut nemo magis. *Quoniam igitur*, inquit, *pluribus ecclesiarum negotiis occupati ad vos ipsi venire non possumus, talem vobis virum destinare curavimus, quo nimirum post nos major in Romana ecclesia non habetur, Petrum videlicet Damianum, Ostiensem Episcopum, qui nimirum & noster est oculus, & Apostolicæ Sedis immobile firmamentum*. Quo encomio quod insigne magis atque honorificentius proferri potuit?

Unde B. Petro cognomen *Damiani* accesserit, variant auctores. Claconius, Bellarminus, cum aliis nonnullis *Damiani* filium appellant. Augustinus Fortunius, aliique a nomine fratris Damiani, cujus opera studiis liberalibus imbutus est, illud sibi vocabulum assumpsisse malunt, & forsan hac de causa Petrus Damiani, non Damianus ab aliquibus scribitur. At Petrus Damianus, nisi passim aberrent codices quam exactissime excusi, appellatur a Leone Marsicano, & auctore antiquo Miraculorum S. Hugonis supra relatis. In vita Stephani X. Papæ, in epistolis Alexandri II. P. M. secuti dein Helinandus, Antoninus, Lipomannus, Bergomensis, Ricordatus, Anonymus Benedictinus Congregationis S. Justinæ, & Anonymus Fontis Avellani in testimoniis a Cajetano ante Opera B. Petri excusis; ac demum pronuper Guido de Grandis in Dissertationibus IV. Camaldulensibus.

SCRIPTA

De Autographo S. Petri Damiani, olim Faventiæ, nunc in Vaticana Bibliotheca servato ita scribit modo laudatus Guido Grandus Differt. Camald. II. c. 2. n. 1. p. 17. „ Doctissimus & Eruditissimus Camaldu- „ len-

„ lensium Generalis Ambrosius in Hodæ-„ porico scribit„ : *Monasterium quoque insigne S. Mariæ* (Faventiæ nimirum) *visitare perreximus*, *sepulcrumque Petri Damiani in antiqua*, *& ornata*, *atque ab illo* (*ut ferebatur*) *constructa basilica venerati sumus*. *Codicem illic vetustum*, *ipsius* (*ut ferebatur*) *manu scriptum*, *in quo omnia Opuscula ejus habentur*, *in conspectum dedere* : *eum nos ad nostrum hospitium tulimus*, *diligentius inspecturi*. Sed & Fortunius Hist. Camaldul. part. 2. lib. 1. cap. 7. idem Autographum adhuc ætate sua ibidem servatum testatur, ait enim : *Misit nobis verba ipsa originalia Romulus Monachus Cisterciensis ibi Quæstor*, *transcripta ex Originalibus B. Petri Damiani*, *quæ ad Cœnobium S. Mariæ de Angelo Faventiæ*, *ubi quiescit*, *asservantur*. Hinc Clementis VIII. Romani Pontificis jussu Codex idem Cæsari Baronio consignatus est, ex quo, velut ex sincero, ac genuino fonte, quæ ad Annales suos pertinere viderentur, erueret : tum in Vaticana Bibliotheca locatus est, ubi hodiedum visitur sub num. 3797. ejus sæculi antiquitatem adhuc spirans, non paucas apicibus interceptas lituras ostentans, quæ Auctoris, non Exscriptoris manum referunt, & hymni cujusdam cantilenam, rudi notarum interpunctione, circa unius lineæ ductum, prisco ritu, designatam exhibens, quæ vetustatem illius ævi apertissime comprobat.

Cum vero idem Summus Pontifex, Clemens VIII. Constantino Cajetano, Monacho S. Nicolai de Arenis, & Abbati S. Barontis e Congregatione Casinensi negotium dedisset, ut Opera S. Petri Damiani in unum congesta corpus typis mandaret, nullus dubitandi locus relinquitur, quam illi dictum autographum usui fuerit. Ut ut sit, Cajetanius jussibus Clementis obtemperans, multis sudoribus & curis collecta S. Petri Damiani Scripta diversis annis & per partes tribus tomis edidit Romæ an. 1606. 1608. & 1655. fol. quæ Lugduni subinde 1623. fol. recensa fuerunt. Atque hanc editionem Labbeus tomo 2. pag. 201. & seq. servato Cajetani ordine recensuit. Tomum quartum adjecit idem Cajetanus, atque Urbano VIII. Pontifici Maximo anno 1640. nuncupavit. Hinc iteratæ editiones Parisiis An. 1642. & 1664. apud Ludovicum Billaine in Palatio, ad secundam columnam in aula magna, sub signo Palmæ & magni Cæsaris, in quibus omnes IV. Tomi non admodum vastæ molis exhibentur. Novissima editio est, quæ anno 1743. Parisiis accurata Venetiis prostat venalis.

TOMO I.

Continentur Epistolarum libri VIII. E quibus aliæ ad Historiam, aliæ ad Disciplinam Monastico-Eremiticam, aliæ ad Ascesin Camaldulensem pertinent; aliquarum argumenta breviter hic persequi liceat. Libro V. ep. 9. narrationem instituit *de aviculis*, *& corvo inter aquas nigras aliquando apparentibus*, *aliquando se abscondentibus*, sed ea cautela, ut non affirmaret, utrum quod ex aliorum, eorumque idoneorum testium fide narravit, verum sit, nec ne, sed legentium inquisitioni relinquendum esse decerneret. Unde Bellarminus nihil habuit causæ, cur in libro de Scrip. Eccles. S. Doctorem in reprehensionem nimiæ credulitatis ob hanc ipsam avicularum narrationem vocaret. Ex libri 2. Epistolis 4. & 12. & lib. 6. ep. 55. & 26. conjecturæ locus est, Monachorum Classensis Cœnobii habitum non nigrum, sed album fuisse. Ex lib. 6. ep. 12. perspicuum habetur, S. Petrum ea in sententia fuisse, ut existimarit, S. Romualdum Benedictinam Regulam additis Eremitice vivendi Regulis perfecisse : *Sanctus Benedictus*, *dum hominem in Monasterio ponit*, *ad Eremum dirigit*, *& dispensative constituit prius Monasterialis vitæ planitiem*, *ut jam faciles Eremi conscendamus ad arcem*. Ex ejusdem lib. 6. ep. 14. album Monachorum habitum ex illusi Christi imitatione, non ex visione S. Romualdi deducit, monetque Mainardum Abbatem ne album Monachorum amictum, utpote vilem, despectui haberet. Iterum ejusdem lib. 6. ep. 35. ad suæ Congregationis Eremitas de Octo Vigiliarum jejunio scribens, cum alias commendat, tum illas Epiphaniæ & Apostolorum Philippi & Jacobi specialius inculcat. Ep. 32. ejusdem lib. 6. exempla refert ex iis, quæ in S. Vincentii Monasterio contigerunt jejunii transgressoribus severe a Deo punitis, totoque adeo monasterio ob intermissam, quam Damianus induxerat, quotidiani officii B. M. V. recitationem animadversione gravissima correpto. Ex l. 7. ep. 12. palam fit, quanta injuria Hugo Etruriæ Marchio, de Camaldulensi Eremo optime meritus, impiæ infimuletur vitæ, ut quem Damianus *incomparabilium virtutum virum nominat*. Hæc pauca pro specimine sufficiant. Cœterum Epistolæ B. Petri Damiani Viris piis ac doctis dignæ visæ fuerunt,

runt, ut separatim ex Cajetani recensione ad Romanam editionem Parisiis excuderentur, An. 1609. 4.

TOMO II.

Continentur Sermones LXXV. juxta mensium ordinem distributi, atque in his Sanctorum quorumdam vitæ eodem ordine dispositæ, de quibus Possevinus, Vossius, & Labbeus consuli possunt. His accedunt aliorum Sanctorum historiæ. I. Vita *S. Odilonis* Abbatis Cluniacensis & Confessoris Ordinis S. Benedicti. II. Vita *S. Mauri* Episcopi Cæsenatis & Confessoris Ord. S. B. III. Vita *S. Romualdi* Abbatis & Confessoris, Patriarchæ & Fundatoris sacræ Familiæ Camaldulensis, quam tertio tantum post ejus obitum lustro, id est, anno juxta communem sententiam 1042. conscripsit. Etsi vero non paucioribus quam 72. Capitibus absolvatur, in procemio tamen Damianus asserit, *se non historiam texere, sed quoddam quasi breve commonitorium faciens*. Sicut de illius in scribendo fide non est ambigendum, ita optandum, ut majorem chronologiæ rationem habuisset; qua neglecta, historiam vitæ iis involutam difficultatibus dedit, in quibus enodandis peritissimi quique Critici utramque scalpunt aurem & plerique frustra desudant. IV. Vita *S. Rodulphi* Episcopi Eugubini, juncta vitæ *S. Dominici Loricati*. V. Passio SS. Virginum & Martyrum Floræ & Lucillæ. Quod ad *Sermones* attinet, ex iis nonnulli S. Petro Damiano præter rem tribui notavit Theophilus Raynaudus in Erotematis de bonis & malis libris p. 151. & seq. Alii auctorem habent S. Bernardum, alii Nicolaum Claravallensem. Et Nicolao huic, tum etiam Petro alteri, Ostiensi Episcopo, qui Leoni IX. a secretis fuit, vel etiam Petro Comestori alios deberi animadvertit Oudinus, qui Cajetanum notat, quod Petri Damiani amplificandi plus æquo studiosus eidem Sermones attribuerit, qui numquam ab eo fuerint elucubrati.

TOMO III.

Continentur *Opuscula* LX. non unius, sed diversi argumenti, quorum I. *De fide catholica* ad sanctæ Spei dilectum filium Ambrosium. II. *Antilogus contra Judæos* ad Honestum virum clarissimum. III. *Dialogus* inter Judæum requirentem & Judæum respondentem. IV. *Disceptatio Synodalis* inter Regis Advocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem. V. Actus Mediolani, de Privilegio Ecclesiæ, ad Hildebrandum S. R. E. Cardinalem Archidiaconum. Est brevis narratio legationis, quam jussu Sedis Apostolicæ obivit. VI. Liber, qui appellatur *Gratissimus* ad Henricum Archiepiscopum Ravennatem; in quo tractatu prolixe ostenditur, non esse eos, qui a Simoniacis Episcopis consecrati sunt, iterum consecrandos. VII. Liber *Gomorrhianus* ad Leonem IX. Rom. Pont. in quo nefandum & detestabile crimen, in quo Deo dicati sui temporis prolabebantur, deplorat: eosque utpote indignos a Sacris Ordinibus removendos esse contendit. VIII. *De parentela gradibus*, ad Joannem Episcopum Cæsenatensem, & DD. Archidiaconum Ravennatem; addita ejusdem argumenti Dissertantiuncula alibi ab Auctore habita. IX. *De Eleemosyna*, quam præ cœteris virtutibus commendat, ad Mainardum Episcopum Urbinatem. X. *De Horis Canonicis*, ad T. ..... virum clarissimum; cui præterea Officium B. Virginis magnopere commendat. XI. Ad Leonem Eremitam Reclusum miræ sanctitatis, quo docet solitarios in Divinis Officiis, & Sacris Mysteriis celebrandis, formulas ab Ecclesia usurpatas, *Dominus vobiscum*, *Jube Domne benedicere &c.* licet alios præsentes supponere videantur, immutare non posse. XII. *Apologeticum de contemptu sæculi*. Ad Albizonem Eremitam & Petrum Monachum. In hoc libello in Monachos exleges gravissime invehitur. XIII. *De perfectione Monachorum*. Ad O.... Abbatem Pomposianum, ejusque Conventum. In hoc libello, ut ita dicam præceptoris officio fungitur, instruit cœnobitas, & de diversis Monasterii Officiis disputat. XIV. *De Ordine Eremitarum* & facultatibus Eremi Avellanæ. XV. *De sua Congregationis Institutis*. Ad Stephanum Monachum. In hoc & præcedenti Opusculo Eremitas instituit, omnes jejuniorum, aliarumque districtionum regulas aperte disponens. XVI. *Rhetoricæ declamationis invectio* in Episcopum Monachos ad sæculum revocantem, ad Gislerium Episcopum Auximanum. XVII. *De Cælibatu Sacerdotum*, ad Nicolaum II. R. P. XVIII. *Contra intemperantes Clericos*, contextum ex tribus aliis beati Damiani de eo argumento Dissertationibus. XIX. *De abdicatione Episcopatus* ad Nicolaum II. R. P. quem allatis causis orat, suppliciterque obsecrar, ut sibi Episcopatus onus deponere permittat. XX. *Apologe-*

geticus ob dimissum Episcopatum. XXI. *de fuga dignitatum Ecclesiasticarum*. XXII. *Contra Clericos aulicos*, ut ad dignitates provehantur. XXIII. De brevitate vitæ Pontificum Romanorum, & divina providentia. XXIV. Contra Clericos Regulares *proprietarios*. XXV. *de dignitate Sacerdotii*. XXVI. Contra *inscitiam & incuriam* Clericorum. XXVII. *de communi vita Canonicorum*. Ad Clericos Fanensis Ecclesiæ. XXVIII. *Apologeticus Monachorum contra Canonicos*. XXIX. *de vili vestitu Ecclesiasticorum*. Mainardo Abbati, qui pretiosioribus vestibus indui consueverat, ostendit, quam sit Ecclesiasticis viris & præsertim Monachis indecorum, vestimentorum speciositatem appetere. XXX. *de Sacramentis* per improbos administratis. XXXI. *Contra philargyriam* & munerum cupiditatem. XXXII. *de quadragesima* & quadraginta duabus Hebræorum mansionibus. XXXIII. *de bono suffragiorum*, & variis miraculis, præsertim B Virginis. XXXIV. *de variis miraculosis narrationibus*, addita simili disputatione de variis apparitionibus & miraculis. XXXV. *de picturis Principum Apostolorum*. XXXVI. *de divina Omnipotentia* in reparatione corruptæ, & factis infectis reddendis. XXXVII. *de variis sacris quæstionibus*, juncta alia ejusdem argumenti tractatione priorem consequente. XXXVIII. *Contra errorem Græcorum*, de processione Spiritus Sancti. XXXIX. *Contra sedentes* tempore divini officii. XL. *de frœnanda ira & simultatibus extirpandis*. XLI. *de tempore* celebrandi nuptias. XLII. *de fide* Deo obstricta non fallenda, addita alia ejusdem argumenti dissertatione. XLIII. De laude flagellorum, & (ut loquuntur) disciplinæ. XLIV. *de decem Ægypti plagis*, atque decalogo. XLV. *de sancta simplicitate* scientiæ inflanti anteponenda. XLVI. *de ferenda æquanimiter correptione*. XLVII. De castitate & mediis eam tuendi. XLVIII. De spiritualibus delitiis. XLIX. *de perfecta Monachi informatione*. L. *Institutio Monialis*. Ad Blancam ex Comitissa Sanctimonialem. LI. *de vita Eremitica*, & probatis Eremitis. LII. *de bono religiosi status*, & variarum animantium Tropologia. LIII. *de patientia in insectatione improborum*. LIV. *de jejunio Sabbati*. LV. *de celebrandis vigiliis*. LVI. *de fluxa mundi gloria*, & sæculi despectione. LVII. *de Principis officio in coercitione improborum*, addita alia ejusdem argumenti dissertatione. In hoc Opusculo Gothifredi Ducis lenitatem in puniendis criminibus reprehendit, ostenditque, quantum nimia benignitate Principum in populos damni redundet. Augeri profecto, non reprimi improborum audaciam, resque humanas susquedeque misceri, nisi peccata paribus coerceantur pœnis. LVIII. *de vera felicitate ac sapientia*. LIX. *de novissimis & Antichristo*. LX. *Expositio mystica Historiarum Libri Geneseos*, recens addita.

Quod vero S. Petrus Damianus ad ista hæc elucubranda Opuscula animum adjunxerit, ea ratione impulsus fuit, quam ipse explicat epist. XI. lib. 4. ad Theodosium Senogallensem & Rodulphum Eugubinum Episcopos data: nimirum quia labori manuum vacare non poterat: *Noverit sanctitas vestra*, inquit, *quia præsumpsi quædam Opuscula scribere, non tam videlicet, ut legibus ecclesiasticis, quod temerarium fuerat, aliquid adderem, quam ob hoc præcipue, quia sine quolibet exercitio inertis otii & remotioris cellulæ tædia non perferrem: ut qui operibus manuum utiliter insudare non poteram, cor vagum atque lascivum quodam meditationis loco restringerem; sicque cogitationum ingruentium strepitum atque accidiæ obrepentis instantiam facilius propulsarem*. Hæc Petrus.

Acta quædam *Legationis* Petri Damiani ab Alexandro II. missi in Galliam, & Synodi eo in regno celebratæ Anno 1603.

Hymnus de Gloria Paradisi ex dictis beati Augustini, cujus initium: *Ad perennis vitæ fontem mens sitivit arida: Claustra carnis præsto frangi clausa quærit anima*.

TOMO IV.

Continentur *piæ quædam orationes*, sive *preces*, Hymni, Lectiones, Missæ, Responsoria, & Carmina CCXXV. in quibus etiam *Epitaphium*, quod ipse sibi Damianus posuit, num. CCXII. *Quod nunc es, fuimus; es, quod sumus, ipse futurus. His sit nulla fides, quæ peritura vides*.

Collectanea in vetus Testamentum ex Opusculis & Epistolis Damiani, ab anonymo illius Discipulo excerpta ad Damianum ex *Rodolinda* sorore S. Doctoris nepotem & S. R. E. Cardinalem a Gregorio VII. in Avunculi memoriam creatum, cui *Opusculum de castitate, & mediis eam tuendi* inscripsit.

Regula Institutionis Canonicæ, cui præmittitur Epistola ad Paschalem II. in qua ei sequens Opus destinatur emendandum, & alia Paschalis ad calcem subjecta, in qua hanc Institutionis Canonicæ Regulam suscipit, & confirmat. Est vero Regulæ hujus conditor alius Petrus a nostro Da-

miano, junior, dictus *Petrus de Honestis*, cognomento *peccator*, Clericus Ravennas, Prior Cœnobii Portuensis, qui suam hanc Regulam edidit pro Clericis & Canonicis illis, qui regulariter apud Mattices Ecclesias penes ipsos Episcopos, vel in Collegiatis aliis ad normam potissimum Concilii Aquisgranensis degebant: non vero pro S. Augustini Professoribus; prout Cajetanus in præfatione solide docet. Petrus Damianus Anno 1072. fatis concessit, Petrus de Honestis an. 1119. Paschalis Papa fuit ab anno 1099. ad 1118.

Atque hæc sunt Opera Petri Damiani, quæ a Constantino Cajetano collecta, quatuor tomis vulgata fuerunt. Subinde Cl. Lucas Acherius *Sermones quinque in Orationem Dominicam* sub nomine Petri Damiani in lucem emisit tomo VII. Spicilegii, quos tamen non diu post Petro Chrysologo deberi agnovit, cui etiam in nova *Spicilegii* editione Tomo I. pag. 215. attribuuntur, & jam pridem in omnibus *Chrysologi Sermonum* editionibus lucem aspexerant.

Honorifica de Petro Damiano testimonia Leonis IX. Alexandri II. Victoris III. Summorum Pontificum, Leonis Marsicani S. R. E. Cardinalis, Lamberti Schafnaburgensis, Bertholdi Constantiensis, Sigeberti Gemblacensis, Honorii Augustodunensis, Hellinandi Galli, Francisci Petrarchæ, Johannis Trithemii, Aloysii Lipomanni, Onuphrii Panvinii, Caroli Sigonii, & plurium aliorum Constantinus Cajetanus, ut supra dictum, accumulat. Solius Pauli V. testimonium paucis referendum existimo, qui in Brevi ad Constantinum dato *Petrum Damianum extitisse Doctorem eximium, ac Reipublicæ Christianæ & Apostolicæ Sedis nobilem partem* contestatur.

S. Petrum Damianum pro Camaldulensi multi exteri Scriptores habent, ut Gabriel Pennotus, Ludovicus Jacobillus de SS. Umbriæ, Paulus Morigia in Historia Religionum cap. 58. Cornelius a Lapide in Apoc. c. 3. Martinus Baronius in Vita quinque Fratrum Polonorum Martyrum, Joannes Petrus Crescentius in Præsidio Romano lib. 1. part. 2. Narrat. 2. Stephanus Demalevicius in Vita S. Bogumili cap. 28. Secundus Lancellotus Hist. Oliv. l. 2. cap. 22. Ludovicus Thomasinus de Benef. p. 1. l. 3. c. 25. Ludovicus du Pin Bibl. Eccles. tom. 8. part. 2. c. 14. §. 10. Antonius Maria Bonuccius Ephem. Euch. die 22. Februarii, Augustinus Lubin in Notitia Abbatiarum Italiæ litt. A. Franciscus Arisius Cremonæ Literatæ tomo I. pag. 404. Pontifices Maximi Pius V. Gregorius XV. & Urbanus VIII. quorum duo postremi Petrum Damianum *Decus & Gloriam Camaldulensis Ordinis* appellarunt. Vid. Grandum Differt. Camald. c. 6. n. 19. p. 86.

Vitam & Acta B. Petri Damiani stylo suo exornarunt S. Joannes Laudensis, Prior Eremi Fontis Avellanæ ac postea Episcopus Eugubinus, ut Bollandus, Mabillonius, & Sartius volunt, non Joannes Ravennas, Eremita Fontis Avellani, & Sancti Doctoris discipulus, ut Guido de Grandis ostendere nititur; Joannes Antonius Flaminius Forocorneliensis, Augustinus Fortunius Monachus Camaldulensis, Hieronymus Rubæus in historia Ravennate, quam Cajetanus, sed alio ordine dispositam cum præcedentibus auctoribus vulgavit in editione Romana, quæ tamen in editione Lugdunensi omissa fuit; quemadmodum alii etiam vitæ Scriptores, quod nihil novi ab eo, quod Joannes Laudensis scripsit, memoriæ prodiderunt. Eandem Vitam Italice libro de Sanctis ac Beatis Camaldulensibus edidit Silvanus Razzius Abbas Camaldulensis: quam potissimum præfatur se ex Rubeo transtulisse. Nec prætermittendi sunt Joannes Bollandus in Comment. prævio ad vitam B. Petri Damiani 23. Februarii, & Joannes Mabillonius in Annal. Bened. tom. 4. & 5. & in præfat. ad vitam sec. 6. part. 2. p. 245.

LXXVI.

PETRUS DELPHINUS.

PEtrus Delphinus Venetiis, clarissima urbe, anno MCCCCXLIV. patritio genere natus, parentibus Victore & Lucia Superantia, statim a teneris annis elegantiorum literarum disciplinis est institutus; sed dum in revolvendis gentilium libris totus est, hi ejus animum in sui amorem ita abstraxerunt, ut sacra volumina plane neglectui haberet. Cujus rei brevi ipsum ita pœnituit, ut nihil magis. Quare totum se ad divinas literas transtulit, in quibus pernoscendis, tantum non modo studii, sed etiam religionis adhibuit, ut animo vix æquo perferre potuerit, quod Joannes Baptista Egnatius, disertissimus sui ævi Orator in Oratione illa ornatissima, qua Petilianum Principem, vita functum, laudavit, semel atque iterum ME HERCLE usurparit. Anno Virginei partus MCCCCLXII. ætatis decimo octavo ad inclytum S. Michaelis Muriani Monasterium se re-

ce-

cepit, ibique, rebus caducis valere juſſis, Ordinem ſubiit Camaldulenſem. Hoc loco poſitus, atque tyro etiamnum, quantopere regularis diſciplinæ obſervantia ipſi cordi, curæque eſſet, inſigni patefecit exemplo, quando nec ad parentem longe chariſſimam, morti proximam, atque filii præſentiæ cupidiſſimam, etiam permiſſu ſui abbatis, accedere voluit, *ne vel in minimo ſancta hæc regularis diſciplina ſcinderetur*. Tranſacto tyrocinio in Gerardi Maphæi Abbatis, vitæ ſanctimonia conſpicui, ſolenni votorum nuncupatione ſe Deo & Ordini Camaldulenſi devinxit.

Monachus jam profeſſus morum ſuorum integritatem, elegantiam, atque adeo ſanctimoniam omnibus ita probavit, ut brevi dignus ſit habitus, qui Abbas primum, tum Generalis Præpoſiti Vicarius, deinde ſacræ Eremi Prior, & totius Ordinis Camaldulenſis Generalis renuntiaretur, annos haud plures, quam ſex & triginta natus. Accedentibus amicis, ut tantæ dignitatis faſtigium gratularentur, tantum abfuit, ut animo elatus ulla dederit lætitiæ ſigna, ut ſuſpiriis, gemitibuſque omnia potius compleverit, ſeque tanto ferendi oneri plane imparem pronuntiarit. Qua in dignitate conſtitutus *Ambroſium*, ſanctiſſimum, atque integerrimum ſuum anteceſſorem ſibi imitandum propoſuit, cujus ex gypſo effigiem ſuo habuit in cubiculo. Ejus virtutes, quibus in ſupremo hoc magiſtratu effulſit, præcipuæ fuerant, admirabilis in ſubditos charitas, ſtudium bene de omnibus merendi, ardor incredibilis retinendæ diſciplinæ, ſeu irremiſſa ſacrarum inſtituti ſui legum cuſtodia. Ordini ſe præpoſitum dicebat, non ut ſolveret in eo legem, ſed ut implendam curaret. Pſalmodiam ſub ſpecie comparandæ alicujus ſcientiæ negligi, aut certe quidem imminui, non ferebat. Cum enim divinarum laudum decantatio præcedat doctrinæ acquiſitionem, male profecto eos ſibi conſulere dicebat, qui pſalmodiam in ſecundis, ſcientiam in primis haberent curis. Quo factum, ut inſigni animi conſtantia ſe opponeret, ne quod Eremitæ ſacræ Eremi Camaldulenſis decretum ſanxerunt, de inſtituendo apud ſe literarum Gymnaſio, vim obtineret. Qui Monachi ut divini verbi ſementem facerent, ſui monaſterii finibus contineri nollent, ſed prædicandi ardore correpti, vicos, oppida, urbes ceu majorem campum, in quo excurrere ipſis liceret, a Superioribus expoſcerent, eos audiendos negabat, ſed commonendos potius dicebat, ut lectioni & orationi operam darent, eaque vocatione, qua vocati eſſent, ambularent. Difficile dictu eſt, quam multos, quamque arduos ac difficiles ſubiverit labores, ut Ordinis ſui Cœnobia partim redimeret, partim inſtauraret. Quæ inter graviſſima negotia, ea viri erat modeſtia, ea integritas, eaque vitæ auſteritas & ſanctimonia, ut a nullis jejuniis, vigiliis, cœteriſque religioſæ communitatis officiis immunis abire vellet. Acceſſit incredibilis ſapientia, qua facile omnium animos, ſtudiaque in ſe convertit. Enimvero operam ſuam numquam fruſtra navavit. Plura enim recenſentur a Camaldulenſium Hiſtoriarum Scriptore, Auguſtino Fortunio, egregia monaſteria, quæ vel recuperavit Ordini, vel conſervavit a rugientibus præparatis ad eſcam. Inerat in eo eloquentiæ ſumma vis, quam etiam Roma, mundi domina, non ſemel ſuſpexit, ac demirata eſt, cum Orationes rerum ac ſententiarum copia redundantes habuit coram Sixto, Innocentio, Alexandro, Julio, Leone, Summis Pontificibus. Et Leo quidem Petri Delphini ſingularem virtutem ac doctrinam tanti fecit, ut illum ad Concilium Generale Lateranenſe advocarit; a quo etiam cum his adjunctus fuit, quibus provinciam curiæ atque eccleſiæ reformandæ injunxerat; ſed quæ Petri erat modeſtia, animi demiſſio, amorque obſcuræ vitæ in Eremo, lucem illam officiorum, honorum ac dignitatum obſtupeſcente Roma, refugit. Quid? quod in locum honoris, ac dignitatis, regali faſtigio proximum venire renuerit; totos ſiquidem tres annos Cardinalitiam purpuram ſibi offerendam conſtantiſſime repudiavit. Eremiticæ amans ſolitudinis eam frequentiæ urbis Romæ multo anteferebat. In hac ut privatam agere vitam, ſanctæque contemplationi liberius vacare ſibi liceret, ſupremo Ordinis ſui magiſtratu ſe abdicare voluit: ſed interceſſit Ordinis Camaldulenſis Protector, illuſtriſſimus Cardinalis Senenſis, qui Delphinum admonuit, ut fratrum potius ſuorum utilitati conſuleret, quam proprio ſui ipſius commodo ſtuderet. Erat vero hic Cardinalis Petro addictiſſimus, & ſingularis ejus amicus.

At quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo, inſtabilitas, & inconſtantia! impulſus eſt poſtea ab Eremitis, qui neſcio quo zelo ducti graves, & forſan immeritas ei turbas dederant, ad abdicandum, fermeque eſt ſuo gradu dejectus. Onus igitur depoſuit anno Domini MDXV. adminiſtrationis ſuæ XXXV. ſed cum ad illud

de-

denuo suscipiendum invitaretur, se exorari non est passus, invicto renuens animo. Titulum tamen Generalatus cum pensione 300. aureorum in perpetuum sibi reservavit. Annos fere decem resignationi suæ superstes fuit; quo integro decennio variis afflictus fuit morbis, quorum dolores patientissime tulit, ita ut nec gemitum, nec suspirium ciere sit auditus. Sola, eaque jugis sacrarum literarum meditatio erat, qua recteari videbatur. Cupiebat dissolvi, & esse cum Christo. Cujus sui voti, post viram sanctissime actam, tandem compos est factus anno MDXXV. decimo septimo Kal. Febr. annos natus unum & octoginta.

S C R I P T A

Epistolas quam plurimas scripsit, quæ, ut de scribentis auctoritate nihil dicam, non magis a sermonis nitore & sententiarum gravitate, quam a rerum eo tempore, quo Delphinus vixit, gestarum narratione summopere commendantur. Etsi enim plerumque de rebus sui Ordinis pertractet, ea tamen quæ ad sui ævi Pontifices spectant, adeo non prætermittit, ut plura memoriæ prodat, quæ vix apud alios reperias Scriptores. De multis etiam Cardinalibus, Episcopis, atque diversarum Ecclesiarum Præsulibus sermonem instituit, quos inter *Petrus Barrocius*, Paduanus Episcopus, qui cum intima conjunctus erat amicitia, paginam ipsi sæpius utramque facit. Nec prælia Turcas inter & Persas silentio transmittit, ut de bello, quo Carolus VIII. Galliæ Rex Neapolitanum petiit Regnum, nihil dicam, de quo plures scripsit epistolas. Sed non est hujus loci, omnium epistolarum argumenta hic referre. Advertit vero Mabillonius, quod, cum Delphini epistolæ imprimerentur, quædam prætermissa fuerint. Cujus rei in Musæo Italico pag. 179. exemplum affert: „Are-
„ tii olim Respublica erat, Florentinæ
„ postmodum mancipata. Sed cum jugum
„ excutere conarentur Aretini, iterum sub
„ jugum redacti sunt auxiliantibus Fran-
„ cis; quod Carolo VIII. regnante conti-
„ git. Singulare factum, quod tunc acci-
„ dit, narrat in quadam epistola Petrus
„ Delphinus, Camaldulensium generalis
„ præfectus, nimirum in libri VII. epi-
„ stola XXXV. ad Petrum Episcopum Pa-
„ tavinum: quod in vulgatis literis ab
„ ipso resectum & cancellatum, ita ex
„ veteri codice restituimus, post illa ver-
„ ba versus XIII. *redigendus est potesta-*
„ *tem*: quibus hæc subdit vetus codex.
„ *Et audi judicium. Me autem apud Are-*
„ *tium agente, dejectus est de pinnaculo tem-*
„ *pli nostri lapideus Leo, insigne Florentino-*
„ *rum, atque in puteum proximum demersus.*
Ingresso urbem Gallorum exercitu, eductus est Leo, & in medio celebriori vico posito coacti sunt Aretini, quotquot eo die illuc pertransibant, genua flectere, ac de infidelitate sua atque defectione veniam postulare. Audio tamen commendasse illos Regem Florentino Dominio, ne in rebellem populum violentius sæviant, neve pro meritis ulcisci in eum pergant. Quod utrum sint facturi, haud ita multo post reipsa experientur, qui nimia dominandi libidine sunt decepti. Conceperant animis spem melioris status, qui mediocri bono debuerant esse contenti, ne sese in periculum capitis, atque in discrimen minus prudenter injicerent. Jactura &c. ut in editis.

Epistolarum Petri Delphini non minus quam quater mille in archivo sacræ Eremi Camaldulensis asservantur, ut fidem facit laudatus Mabillonius. Ex his ipse Petrus Delphinus mille & ducentas selegit, quas privatis sumptibus Jacobi Brixiani, Prioris S. Martini Opitergii, Venetiis anno 1524. typis Bernardini Benalii excudendas curavit, ut ipse nos docet epistola 88. lib. 12. data an. 1523. die 27. Febr. *Subiit animum prioris Opitergini*, inquit, *paulo ante curare, ut pars epistolarum nostrarum sumptibus suis imprimeretur. Fuit præterea mihi necessarium, ubi inter ipsum & impressorem convenit, occupari assidue in deligendis iis, quas potissimum imprimendas curarem. Urgente siquidem impressore, ne se vacare mea negligentia permitterem institi die noctuque perficiendo operi, non sine meo incommodo & labore, prætermissis aliis minus necessariis, quæ interea occurrebant negotiis.* Et Epistola sequenti, infirmitatibus suis suavissime, ut solebat, alludens, queritur lente procedere editionem *simul claudicantibus & ipso impressore, & impressionis auctore*. Et tamen confecta fuit anno 1524. die 2. Martii. Non aliæ tamen epistolæ in ea continentur quam quas Generalis ab anno 1480. scripserat, iis prætermissis, quas ante summam hanc præfecturam ab anno 1462. ad annum usque 1480. exaraverat. Quam rara vero & cara sint hujus editionis exemplaria, supra in *Jacobo Brixiano* diximus. Hic solum adscribo verba, quæ nuper vir doctus & religiosus ex Italia ad amicum in Germania perscripsit. *Non dudum aliud ejusdem Aucto-*

ris

ris Exemplum cum quidam Abbas Cassinensis teneret, rogatus affirmabat se non minoris addictlurum centum aureis.

Quod vero quidam in Gallia Critici (*a*) asserant, in Petri Delphini epistolis, si tres aut quatuor demantur, nihil admodum esse praeclarum, quod magnopere suspicias, quam earum raritatem & infrequentiam; isthoc judicium mihi ejus non dissimile esse videtur, quod *Gregorius Majansius* (*b*) de Marci Antonii Mureti ferre epistolis non dubitavit: *Muretus*, inqnit, *melior orator, quam epistolarum artifex, in cujus epistolis praeter stili facilitatem & elegantiam nihil occurrit magna laude dignum, si unam & alteram excipias*. Quod si vero huic censurae nemo facile suum adjiciat calculum, nec futuros esse plures existimare fas est, qui Delphini epistolis, verso pollice, suam dignitatem & praestantiam abjudicat. In alia certe sunt sententia *Schenchzerus*, *VValdkirchius* & *Loevus* viri literatissimi in Germania, qui Basileae vastissimum juxta ac eruditissimum opus, quam plurimis comprehensum tomis, *Lexicon Universale omnium scientiarum & artium*, indefesso studio & labore hodie elaborant; quibus utique fungus non est pro cerebro. Hi vero tomo VII. pag. 473. multas res & circumstantias notatu dignas in Petri Delphini epistolis contineri attestantur. Nec Mabillonius naribus fuit ita obesis, ut quid distent aera lupinis, non nosset. Is autem, itinere literario per Italiam instituto, perdiligenter in Delphini Epistolas inquisivit, quarum ducentas quadraginta duas nondum typis exscriptas secum in Galliam asportavit, quasque deinde Viri eruditissimi Edmundus Marthene & Ursinus Durand e Congreg. S. Mauri juris publici fecerunt Collect. ampliss. Tomo III.

De Scriptis *Petri Delphini* audiendus est prae coeteris *Eusebius Priolus*, Abbas Carcerum sub finem Orationis pro Petro Delphino habitae, quae extat apud Marthene l. c. p. 1231. „ Praeter quatuor, inquit, „ volumina, quas post initum Generalatus officium pro religione, pro amicis, „ ad quodcumque hominum genus ornate „ scripserat, praeterquam plurimas Orationes elegantissime habitas, insignes „ quoque in Hieronymum Savanorolam edidit Dialogos. In Ciceronis Orationes „ memoranda descripsit argumenta. Per- „ plura etiam Orthodoxorum Patrum apophtegmata breviariis pulchro ordine „ digestis conciliavit. Accedebat ad tantum ipsius ornatum mira quaedam ipsius „ in scribendis literariis characteribus, & „ suavitas, & pulchritudo, ut disertae ipsius „ editiones tam praeclara litera descriptae „ viderentur ciclade auro texta, ac immensis monilibus ornatae. „ Haec ille.

Oratio ad Leonem X. Pont. Max. extat Collect. amplifs. Tom. III. pag. 1211-1216.

Chronicon Venetiarum nondum typis exculum memorat Ant. Possevinus in Appar. Sac. part. 3.

Carmina, quorum uno aestus suos cum S. Hieronymo confert. Vide epistolam 171. ad Petrum de Porticu apud Marthene l. c. pag. 1112.

Statuta Capituli Generalis, hortantibus eremitis, emendavit. Vid. epist. 237. ad Eusebium Priolum loc. cit.

Breviaria Ordinis sui an. 1484. imprimi curavit, de quorum difficili inter Ordinis sui sodales distractione scripsit epistolam ad Petrum de Porticu, quae est apud Martene 178[ma]. in qua scribit: *Antequam imprimerentur Breviaria, fere habebat nemo. Postea quam vero imprimi jussa sunt, habent singuli bina vel terna.*

Petri Barrotii, Episcopi Paduani, virtute doctrina conspicui, amici conjunctissimi, *Epistolas* unum in volumen redigi curavit. Vid. epist. 223. apud Marthene l. c.

Agunt de *Petro Delphino* ejusque scriptis VVion in Ligno Vitae l. 1. c. 28. & Possev. in Appar. Sac. part. 3.

LXXVII.

PETRUS QUIRINUS.

PEtrus Quirinus nulli eorum, quos Urbs Veneta Nobiles habet, antiquitate ac generis prosapia inferior fuit. Antequam candidam S. Religionis stolam in sacra indueret Eremo, *Vincentii* nomen tulit; id quod die 21. Febr. an. 1512. factum est. Qui quidem *Vincentius* Graece, Hebraice, ac Latine doctus honestissimos Reipublicae suae honores ac dignitates multas obtinuit. Praecipue vero Oratorio munere ad omnes fere Christianae Reipublicae Principes functus est. Unde *De Helvetiorum Origine* brevem conscriptionem reliquit, cujus exemplar *Aloysius Superantius* nobilis vir *Augu-*

(*a*) Vid. Tom. IV. Menag. p. 58. item Commentarios Historiae Celeberr. in Repub. liter. Virorum Inservientes. Tom. XV.

(*b*) In praefat. ad suos libros sex Epistolarum.

gustino Florentino in Cœnobio Carcerum dono dedit, ut ipse nos docet Hist. Camald. lib. 3. c. 10. p. 285.

Extant ad *Petrum Quirinum*, adhuc Novitium, duæ *Petri Delphini* Epistolæ (in editione illarum Epistolarum quam Edm. Martene & Ursin. Durand e Congr. S. Mauri Collect. amplist. Tom. III. accurarunt) vid. 231. & 232. quibus ei, atque duobus connovitiis spartam excerpendi & colligendi Constitutiones Camaldulenses injungit, non vero facultatem illas mutandi tribuit, quam sibi arrogare Delphino videbantur. *Non vobis propterea novitiis confertur honor, sed labor: & in hac collectione Constitutionum onerasse vos necessario, ob literaturam negotio necessariam, mihi visus sum non honorasse, ut quod non immature vobis distulerim, sed quod vos contemplationi deditos nimium gravaverim, queri potueritis.*

Eusebius Priolus Abbas Monasterii Carcerum in Oratione funebri pro mox laudato *Petro Delphino Quirinum* vocat *magnum Camaldulensis religionis luminare*. Quo encomio *Delphinus* tantum abest, ut ipsum exornarit, ut etiam ambitionis & perduellionis aliquando insimularit. Nec mirum; humani enim aliquid passus fuit, ac *Quirino* nonnihil indignatus, quod operam dederit, ut se supremo Ordinis magistratu abdicaret. Extat tamen *Delphini* epistola, qua explicationem cujusdam loci ex libro Job a Quirino petit.

„ Florentinus antistes dedit per hos dies „ ad me literas, quibus inter cœtera significat, ut si quando te reviserem, ipsius te nomine salutarem, atque ut „ pro se orares enixius requirerem. Ne „ igitur longior intercedat officii intermissio, quod non potui hactenus commode exequi coram, per schedulam utcumque satisfacio. Tuum erit tam pii „ atque indulgentis patris assidue reminisci, & pro ejus salute deprecari. Animadverti enim ex literis ejus, quod „ te magnopere diligat, multum tibi tribuat, optime de te sentiat. Cavendum „ itaque tibi, ne tibi penitus memoria „ excidat. Ceterum si est apud te Biblia „ Hebræorum, cum sis haud ignarus Hebraicæ linguæ, quid sibi velit apud Job „ capitulo XIX. *vel celte sculpantur in silice*, cupio abs te fieri certior. Nam in „ bibliis eum commentariis Nicolai de „ Lyra nostro ævo impressis, scriptum reperio *vel* CERTE, id est, saltem, non „ CELTE, *sculpantur in silice*. Et ego „ numquam apud bonos tam veteres, quam „ recentes auctores reperi, quid *celte* hoc „ in loco significet. Sunt qui arbitrentur „ esse *celte* instrumentum ad imprimendas „ in silice literas idoneum. Sed hoc mihi „ nequaquam constat. Non gravaberis significare quid sentias, si quid ex fonte „ hauseris. Neque enim te decet servare „ talentum in sudario repositum; cum id „ acceperis ea lege, ut cum lucro & fœnore ipsum tibi mutuatum ad mensam „ restituas. Vale. Ex Fontebono die XXI. „ Martii MDXII.

Est hæc Epistola inter Delphinianas apud Edmund. Martene CCXXVIII. quid vero *Petrus Quirinus* ad illam responderit memoriæ proditum non lego.

Ceterum QUIRINUS *consummatus in brevi explevit tempora multa*. (Sap. cap. 4.) Cum enim in ipsa sacra Eremo biennio summa cum laude vixisset, Romæ Cardinalis designatus, nondum insignitus, feliciter obiit, uti Lucas Hispanus scribit in Romualdina Lib. 2. cap. 8. pag. 63. ubi eximiæ ejus laudes legi possunt. Nec fors prætermittendæ sunt Petri Delphini Epistolæ in Collectione Edmundi Martene & Ursini Durand Tom. III. vid. Epistola 237. 239. 240. 241. In Bibliotheca Eremi Rhuensis inter Opuscula B. Pauli Justiniani duo asservabantur Scripta, quorum primum est *De pio Obitu Fratris Quirini in Urbe Roma*. Alterum *De Sancta ipsius & admirabili Vita*, quæ tamen hodie non reperiuntur.

Fidentius Patavinus Eremita Montis Coronæ qui Catalogum texuit Scriptorum Eremiticæ Camaldulensis Professionis, mentionem facit Gramaticæ Hebraicæ a Petro Quirino in tres libros distributæ, quæ an extet, vel quo loco, ignoramus. In codice Rhuensi Autographo habentur aliqua Petri Quirini Opera, quæ sequentia sunt, eaque indicando exscribimus folium mihi a P. D. Angelo Calogierà comunicatum, quodque ipsi miserat, cum Cellerarius esset Rhuæ D. Tiburtius Eremita Camaldulensis Montis Coronæ, nunc Procurator Generalis suæ Congregationis.

Petri Quirini Veneti Camaldulensis Eremitæ Viri moribus & doctrina triumque Linguarum peritia clarissimi Opuscula quædam. Titulus aliena manu antiqua tamen sicut & Opusculorum Index est scriptus.

I. Cantici Canticorum nova juxta Hæbraicam veritatem translatio a vulgata traslatione valde diversa.

Incipit. Canticum Canticorum, quod vulgariter dicitur Salomonis: Osculetur me oscu-

osculis oris ejus. Quoniam meliores sunt amores tui plusquam vinum.

Definit. Fuge dilecte mi, & redde te similem capreolo, aut hinnulo cervorum super montes aromatum.

II. Cantici Canticorum juxta novam prædictam translationem eruditissima expositio usque ad finem 4. Cap.

Incipit. Canticum Canticorum. Canticum quod Epithalamium nuncupatur, & supra cætera Scripturæ Cantica reponitur.

Definit. Cum Nardis, per Nardos Martyres intelliguntur, est enim Nardus redoleas herba, & calida quæ duæ proprietates Martyribus Christi aptius quam cæteris omnibus conveniunt.

III. Job secundum hebraicam veritatem translatio a Vulgata multum distans.

Incipit. Vir fuit in terra Hus Job nomen ejus. *Definit* in cap. 4.

IV. Annotationes quædam super Evangelium secundum Joannem.

Incipit. Joannes a Verbo divino, dimisso Patre, suæ narrationis sumpsit exordium.

Definit. Solvite templum hoc & in triduo reædificabo illud.

V. Initium quoddam expositionis Epistolæ Pauli ad Romanos.

Incipit. Paulus non carnis non sanguinis non vanæ gloriæ sed Jesu Christi.

Definit. Quapropter tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.

VI. Incepta expositio super Psalm. 109. *Dixit Dominus*.

Incipit. Cum in præcedenti Psalmo Christum qui sanguinem effundebat in cruce Patrem pro semetipso deprecasset.

Definit. Quia legem meam non servaverunt subjicit virgam virtutis suæ.

Septimum Opusculum in hac prima parte Codicis non est Petri Quirini sed Antonii Pucii Florentini, estque sermo habitus an. 1512. in sacra Eremo Camaldulensi in die Assumptionis B. Mariæ Virginis.

In secunda parte.

Sermone nel quale subtilmente tracta se la gloriosa Vergine fu conceputa in peccato originale o no?

Incipit. Creò Iddio gli Angeli tutti io tre diverse maniere, alcuni che illuminassero gl' inferiori a loro.

Definit. D' intelletto, di volontà, e di quel libero volere, con che più che per verun' altra cosa a noi si rassomiglieranno dotate.

Inspexit & codicem postea D. Anselmus Costadonius qui mihi significavit in secunda hac ipsius parte contineri præter Sermonem in Conceptione B. Mariæ Virginis alios Sermones morales, necnon & Epigrammata manu ipsius Quirini descripta.

Servantur, & in eadem Bibliotheca Rhuensi Epistolæ aliquot ejusdem Petri Quirini, aliæ ipsius nomine signatæ, aliæ vero fictitio Lycenopis nomine.

Vulgatæ reperiuntur duæ Quirini nostri Epistolæ in collectione Epistolarum Italicarum a Paulo Manutio edita anno 1551. Tom. I. pag. 42. Prima Marino Georgio Patricio Veneto, altera Magnifico Juliano Medici inscripta.

Quædam item Italica Epigrammata Petri seu Vincentii Quirini edita reperiuntur in Collectione Jolitti, cui titulus *Rime di diversi lib. primo* pag. 195. l. 2. pag. 120.

Vitam Petri Quirini describere meditatur Em. Card. Angelus Maria Quirini S. R. E. Card. Bibliothecarius, cujus nomen omnem laudem superat. Utinam ad gentilis sui gloriam, & ad Reipublicæ Litterariæ commodum opus quamprimum perficiat.

LXXVIII.

PHILIPPUS FANTONIUS.

PHilippus Fantonius ex Patricia gente Florentina Generalis sui Ordinis, disciplinæ regularis observantissimus, vir in divinis Scripturis multum eruditus, & in secularibus literis admodum doctus, sed in Mathematicis disciplinis (quas publice Pisis gloriose professus est) valde peritus, ingenio dulcis, & eloquio subtilis, ac sacræ Theologiæ Doctor, scripsit non spernendæ lectionis librum, quem prænotavit: *Del modo & ragione di ridurre l' anno alla sua forma & numero*. i. e. *De modo reducendi annum ad suum legitimum numerum. lib. 1*.

Vixerat adhuc anno 1589. quo ipso anno *Michael Pocciantius* Catalogum Scriptorum Florentinorum, cui præsens *Philippi Fantonii* encomium insertum est, in publicam emisit lucem. Ejus etiam paucis meminit Arnoldus VVion in Ligno Vitæ lib. 1. cap. 28. de Scriptor. Camald. ubi *Fantonium* & alia nonnulla, quæ ipse tamen nondum viderit, scripsisse perhibet.

LXXIX.

PHILIPPUS MARIA MACCHIARELLI.

PHilippus Maria Macchiarelli nobilibus parentibus *Hyacintho Macchiarello*, & *Ursula Pandulfa* natus est Neapoli die 1. Augusti anni MDCLX. Nomen e sacro fonte tulit *Nicolai*. Fratrem habuit *Januarium* e Congregatione Patrum, quos *Pios* vocant *Operarios*, morum integritate, rerum divinarum scientia, & zelo animarum conspicuum. Nondum adultæ erat ætatis, cum jam togam induit Clericalem, turbæ hominum fugitans, & solitudinis amans. Literis imbutus elegantioribus, Philosophiæ & Theologiæ operam navavit. Anno ætatis vigesimo quarto primum Deo Sacrum obtulit. Quo in statu bonas horas minime ignavo combussit otio, sed eas Historiæ Ecclesiasticæ, Controversiarum fidei, & Sacrorum Canonum studio impendit. Postea cupido animum subiit, iter instituendi literarium, atque eas Italiæ civitates perlustrandi, quæ præ cæteris bonarum artium studiis, atque doctrina præstantium virorum copia florent. Igitur Romam, Florentiam, Patavium, & Venetias profectus est, quo in itinere Italicæ linguæ nitorem, puritatem, atque elegantiam consequi allaboravit. Ad extremum Bononiam se contulit, in cujus Universitate, ceu Musarum æde, ac sapientiæ domicillo ea eruditionis ac doctrinæ patefecit indicia, ut magnam ab omnibus retulerit mercedem laudis & gloriæ. Nec tamen, cum literis, quarum erat cupidissimus, ita obsequeretur, pietatis sepofuit studia. Amabat loca visitare sacra. Romæ limina Principum Apostolici Senatus, Loreti ædem Magnæ Dei Matris, in monte Gargano templum S. Michaelis Archangeli, ut aliorum cœlitum aliis in locis taceam basilicas, magno pietatis sensu adivit. Præcipua devotione addictus erat S. Philippo Nerio, Fundatori Congregationis Oratorii, cujus vitam, quo manibus plurium tereretur, compendiario stylo in literas retulit. Reversus in patriam, nullis aliis artibus, quam virtute ac doctrina Em. Cardinali Antonio Pignatelli, Archiepiscopo id temporis Neapolitano; postea Pontifici Maximo, Innocentio XII. conciliatus fuit, qui eum Vicarium suum Abbatiæ S. Marci in Apulia constituit. Quo munere ita præclare functus est, ut Purpurato Patri plane satisfecerit. Longius procedendi honoribus spem non inanem alere potuisset, nisi rerum humanarum satietate captus vitam solitariam Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ præhabuisset. Annum ætatis quadragesimum expleverat, quum quodam mane ad Eremum S. Mariæ Coronatæ in diœcesi Beneventana improviso accessit, supplex pro sacro habitu factus. Ætas aliquantum provecta in causa erat, quod pro votis non statim admissus fuerit, sed cum supplicandi finem non faceret, anno 1701. Camaldulensi veste indutus fuit a D. Tiburtio de Bavaria tunc temporis Majore, & a Patribus Felice de Bononia, & Juvenale de Sicilia Visitatoribus. Exacto tyrocinio solemnem professionem emisit an. 1702. die 24. Junii.

Exinde nihil antiquius habuit, quam Religiosæ perfectionis, omniumque virtutum studium. Quod ab oratione & contemplatione reliquum boni erat otii, id pervestigandis divinarum scripturarum mysteriis addixit. Postea etiam in calamum incubuit, varii argumenti elucubrando libros. Etsi vero scribendi labores haud leves essent, vitam tamen duxit austeram. Numquam a choro abfuit, aut se ab aliis eremiticæ vitæ exercitiis sejunxit. Prosequutus est hosce labores ad annum usque MDCCXV. quo morbo tentatus, lectoque affixus fuit, e quo cum se deinceps haud surrecturum cognosceret, Scripta sua magnam partem Vulcano dicavit. Inter quæ erant copiosæ pro historia vitæ S. Romualdi notitiæ, ex quo tamen apparatu plura flammas non evasere, quam quæ ad explendum justæ molis tomum esse satis existimabat. Inter MS. igne absumpta erat Vita B. Pauli Justiniani, Fundatoris Congregationis Montis Coronæ, jam prælo ita parata, ut eidem quam primum subjici posset. Et vero typis excusa fuisset, si eam Venetias transmittere non abnuisset, sumptus Viro Nobili e Domo Justinianea suppeditante. Lincæ admoveodus ultimæ, nihil rerum sæcularium ad aures admittere sustinuit. Prælegi sibi voluit Vitas SS. Philippi Nerii, Joannis a Cruce, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Sic bene ultimum ad agonem dispositus animam Deo tradidit 14. Julii anno 1715. ætatis 55. Coluit amicitias cum multis viris literatis, quorum censuram quæ in lucem publicam emissurus erat, subire voluit, ut eorum starent, caderentque arbitrio. Valuit gratia apud Emin. Cardinalem Ursinum,

num, postea Summum Pontificem, Benedictum hujus nominis XIII. & Antonium Sanfelicem, Episcopum Nardensem.

Vitam Eremitæ doctrina & virtute conspicui literis a se Italice mandatam ad posteros transmisit R. P. Sebastianus Pauli e Congregatione Matris Dei, quæ Notitiis Historicis Vitæ S. P. Romualdi præfixa habetur. Quæ vero Macchiarellus sermone patrio typis describenda dedit, sunt hæc:

„ I. Vita di S. Filippo Neri Instituto„ re della Venerabile Congregazione dell' „ Oratorio in libri quattro, ristretta da „ Nicolò Macchiarelli. Con aggiunta de' „ miracoli successi in quest' ultimi anni. „ D' uno accaduto in Roma a' 26. Mag„ gio 1698. ed alcune Orazioni al Santo. „ *i. e.* Vita S. Philippi Nerii, Instituto„ ris Venerabilis Congregationis Oratorii „ libris quattuor comprehensa, in syno„ psin vero redacta a Nicolao Macchia„ relli. Cum additionibus Miraculorum, „ quæ ultimis hisce annis contigere; quo„ rum unum accidit Romæ die 26. Maji „ an. 1698. & aliquarum Orationum ad „ Sanctum. Neapoli 1699. ex Typogra„ phia Felicis Mosca „. Hanc Vitæ synopsin scripsit Macchiarellus, cum adhuc esser Sacerdos secularis.

„ II. Apologie Romoaldine, colle qua„ li rispondesi a molti Scrittori moderni „ da D. Filippo Maria Macchiarelli Ere„ mita Camaldolese. All' Illustrissimo, ed „ Eminentissimo Principe F. Vincenzo Ma„ ria Cardinal Orsini Arcivescovo di Be„ nevento. *i. e.* Apologia Romualdina, „ qua multis Scriptoribus moderni ævi „ respondetur a D. Philippo Maria Mac„ chiarelli, Eremita Camaldulensi. Ad „ Illustrissimum & Eminentissimum Prin„ cipem, F. Vincentium Mariam Cardi„ nalem Ursinum, Archiepiscopum Bene„ ventanum. Beneventi 1709.

In prima ex his Apologiis adstruitur Visio Scalæ S. Romualdo in somno facta: In secunda ostenditur, S. Romualdum vixisse 120. annis, diemque supremum obiisse anno 1027. Tertia S. Patrem a multa commendat doctrina, eique commeritum inter Scriptores Ecclesiasticos locum attribuit. Quartæ argumentum est Institutum Camaldulense S. Petri Damiani, de quo honorificam faciunt mentionem, qui hodie Diaria Literatorum Italiæ scribunt.

„ III. La Favola, che 'l Sacro Corpo „ di S. Benedetto dorma nel Sepolcro „ Floriacese dinudata. Discorso Apologe„ tico Primo di D. Filippo Maria Mac„ chiarelli Benedettino Camaldolese, all' „ Illustrissimo e Reverendissimo Padre D. „ Gregorio Galisio Abate di Monte Ca„ sino. *i. e.* Fabula, quod sacrum Cor„ pus S. Benedicti in Sepulchro Floria„ censi quiescat, in apricum producta. „ Discursus Apologeticus primus D. Phi„ lippi Maria Macchiarelli Benedictini „ Camaldulensis, ad Illustrissimum & Re„ verendissimum Patrem D. Gregorium Ga„ lisium, Abbatem Montis Casini. Nea„ poli apud Mosca 1713.

„ IV. Di S. Gregorio Magno coltiva„ tore della Regola del Patriarca S. Be„ nedetto. Discorso Apologetico Secondo „ di D. Filippo Maria Macchiarelli Be„ nedettino Camaldolese, agl' Illustrissimi „ e Reverendissimi Padri D. Benedetto „ Abate Laudati, e altri Abati e Mona„ ci di S. Severino. *i. e.* De S. Grego„ rio Magno cultore Regulæ S. Benedicti „ Patriarchæ. Discursus Apologeticus Se„ cundus D. Philippi Maria Macchiarelli „ Benedictini Camaldulensis ad Abbatem „ Benedictum Laudati, & alios Abbates, „ & Monachos ad S. Severinum. Neapoli „ ex officina Felicis Mosca an. 1713.

„ V. Delle Notizie Storiche della Vita „ di S. Romoaldo, e de' suoi Beati Di„ scepoli Libri X. Scritti da D. Filippo „ Maria Macchiarelli da Napoli Eremita „ Camaldolese. Notitiæ Historicæ Vitæ „ S. Romualdi & Beatorum ipsius Disci„ pulorum, Lib. X. Scripti a Philippo „ Maria Macchiarelli a Neapoli Eremita „ Camaldulensi. Neapoli ex Typographia „ Felicis Mosca an. 1715.

LXXX.

PLACIDUS.

PLacidus hujus nominis Primus a S. P. Romualdo Prior XIII. sacræ Eremi & totius Ordinis Generalis, quem duo de viginti rexit annos magno splendore & summa prudentia. Ad disciplinam in primo suo vigore conservandam edidit *Constitutiones*, quarum meminit Guido Grandus Differt. Camald. IV. cap. 7. num. 8. pag. 96. Regimen cum vita posuit an. Dom. 1199. X. Kal. Septemb. Vid. Aug. Flor. Hist. Camald. l. 2. c. 19. & 23. pag. 165. & 177. Guid. Grand. Differt. Camald. I. cap. 2. n. 15. p. 30. ubi Placidum ex Camerario Camaldulensi Abba-

tem S. Mariæ Pratalix, tum Generalem Priorem evasisse scribit.

LXXXI.

B. RODULPHUS.

B. Rodulphus quartus Sacræ Eremi Camaldulensis Prior, rerum gerendarum peritia apprime ornatus, ad id officit circa annum 1066. assumptus, præfuit minimum annos tres & viginti, ea quidem vitæ integritate, ac sanctimonia, ut alterum S. P. Romualdum quodammodo referret, Deo & hominibus dilectus. Edidit in scriptis anno 1080. *Constitutiones*, iterum alias 1085. pluribus comprehensas capitibus, quibus inter alia nimiæ vitæ austeritati, qua multi Camaldulenses corpus inedia, vigiliis, ac disciplinis discruciabant, modum imposuit. Utræque *Constitutiones* ad veterem Disciplinam Camaldulensem spectanr, quas Tomo VI. Bibliothecæ Camaldulensis exhibebimus. Animam, maximo circumfusus splendore, B. Rodulphus Deo reddidit, anno salutis, si Augustino Florentino Hist. Camald. lib. 1. c. 58. p. 123. & c. 65. p. 139. credimus, millesimo centesimo sexto; qui vero annus emortualis ex eo refellitur, cum jam anno 1089. Martinus Prior eius successor legatur, ut planum facit Guido Grandus Differt. Camald. I. n. 9. p. 20. q i & in hic, & in aliis tribus suis Dissertationibus auctoritate *B. Rodulphi* nititur, ut prætensæ S. Romualdi Visionis Scalæ, & Mutationis habitus assertores confutet.

Laudatur etiam *B. Rodulphus* Lucæ Hispano, Eremitæ Camald. in Romualdina, seu Eremitica Montis Coronæ Camald. Ord. Historia lib. 5. cap. 8. p. 25. quod omnium primus res Camalduli descripserit, cujus auctoritas & narratio de prima Camaldulensis Eremi fundatione utique modernioribus rem aliter referentibus, postponenda videri non debeat, sed quo antiquior eo veracior habenda sit. Et pag. 42. hæc habet: Rodulphus primas Constitutiones Eremiticas composuit, & ipsius Religionis exordia in scriptis redegit, quem libellum *Compilationes* ei placuit appellare.

LXXXII.

RODULPHUS JUNIOR.

Rodulphus Prior Camaldulensis *Tractatum de Inventione Corporis S. Apollinaris Episcopi & Martyris* conscripsit. Illum vero ut ex carmine, quod sub finem operis adjecit, perspicuum fit, post annum 1173. literis mandavit. Ita enim versus similiter cadentes, seu Leonini attestantur.

Anno milleno centeno septuageno
Terno post gratam sobolem de Virgine natam,
Pastor Alexander quum ternus in orbe micabat,
Schismata quem dira, & quem vera Sophia probabat,
Indiciis claris corpus patet Apollinaris.
Lucis in exemplo Classensis supplice templo
Pluribus & dignis micat hac patefactio signis
Quum Simonis festum Judæque micaret honestum,
Festa sacris membris celebrantur quarto Novembris.
Tu plebs Ravenna jam munus adepta perenne
Munus conserva cum te comitante caterva,
Quo meritis claris tibi metropolim tueraris
Ut sis in cœlis proprio cum Præsule felix.

Jam vero non exigua oboritur difficultas, quis iste fuerit *Rodulphus*, cum apud Augustinum Florentinum, qui in Historia Camaldulensi Sacræ Eremi Camaldulenses Priores enumerat, nullus qui post memoratum annum 1173. hoc nomine vocatus fuerit, occurrat. Equidem ante hunc annum duo *Rodulphi* sacræ Eremo Camaldulensi præfuisse leguntur: Primus ab anno circiter 1066. per viginti tres annos Prioris munus magna cum laude administravit usque ad annum 1089. quo inter Superos jam receptus fuit. Alter ab anno 1153. usque ad annum 1159., sacræ Eremi habenas moderatus est. Post hunc annum nullius deinceps *Rodulphi*, qui Prioris functus sit officio, Augustinus Florentinus meminit. Nec Arnoldus VVion in Serie Chronologica Priorum perpetuorum sacræ Eremi ullius facit mentionem. Et tamen si *Tractatum Inventionis S. Apollinaris Rodulpho* Priori Camaldulensi abrogare nolimus, illum post annum 1173. ætatem egisse fateamur necesse est. Scripsit enim post peractam Inventionem, quæ anno 1173. contigit. Conjecturæ locus sit; *Rodulphum* alteri Eremo vel Monasterio Camaldulensium præfectum eodem jure nomen usurpasse

pasſe Prioris Camaldulenſis, quo illud hodiedum uſurpant alii Monachi & Eremitæ, qui licet aliis in Eremitoriis vel Monaſteriis ſacram emiſerint Profeſſionem, ſe tamen Eremitas, vel Monachos ſcribunt Camaldulenſes.

Cœterum *Rodulphi* Scriptum com literato Orbe communicavit V. C. Lud. Ant. Muratorius Scriptor Rer. Ital. t. 1. part. 2. ubi a pag. 529. illud inſeruit *Spicilegio Ravennatis Hiſtoriæ*, ſive *Monumentis Hiſtoricis ad Eccleſiam & urbem Ravennatem ſpectantibus*. Ad calcem vero pag. 536. col. 2. hunc ſubjecit Notam: „ Siquidem ſequens „ *narratio de Inventione Corporis Sancti Apollinaris* ad hunc ipſum Rodulphum, „ Priorem Camaldulenſem pertineat, ut „ puto, certa illic argumenta occurrunt, „ hoc ejus Opuſculum non parvi facien„ dum, uti a Synchrono Scriptore profe„ ctum. „

Integer vero titulus eſt hic: *Tractatus domni Rodulphi, venerabilis Prioris Camaldulenſis, doctoris eximii, de inventione corporis beati Apollinaris*. Homiliam tamen potius Auctor conſcribit, quam hiſtoriam, deſumpto per ſcriptionis decurſum argumento ab igne ſacrificii in antiqua lege, deinde Sermone ad populum converſo, qui *ſacrum corpus beati Apollinaris ſtuduit quærere, quæſitum invenire, inventum venerari*, illud comparat cum igne ſacro holocauſti. Hortatur inſuper ad ejuſdem Corporis cultum Ravennates, uti Claſſenſes fratres, igniſque proprietatibus eidem accomodatis, eandem ſemper analogiam ſatis appoſite, & aſcetice ad finem uſque ſui Tractatus decurrit. Quæ eſt cenſura Antuerpienſium Hagiographorum, qui Opus incomparabile a Joanne Bollando cœptum pari, vel majori adhuc cum eruditione, induſtria, ac laude proſequuntur. Tom. 5. Julii die 23. in Comment. præv. ad vit. S. Apoll. E. & M. pag. 359. col. 1.

Jam hæc ſcripſeram, cum me monuit P. D. Angelus Calogierà duobus vicibus fuiſſe Rodulphum hunc, Priorem Sacræ Eremi; nempe ab anno 1163. ad annum 1167., in quo legitur in chartis Sacræ Eremi Ildebrandum; ſecunda vero vice anno 1180. a menſe Majo ad Auguſtum quo ad inſulas ipſe Anconitanas evectus, ſedem reliquit Placido. Hæc clare innoteſcunt ex Opuſculo Eduardi Baroncini Eremitæ Camaldulenſis cui titulus: *Hiſtoriarum & rerum Camaldulenſium Anecdota ex chartis Archivii S. Eremi*, quod MS, ab ipſo Patre Calogierà ſervatur.

LXXXIII.

ROMANUS MERIGHIUS.

Romanus *Merighius* inter homines anno 1658. eſſe cœpit in Caſtro Motetano Diœceſis Imolenſis, patre natus Antonio, celebri Mathematico, matre Joanna Belloni. Literis Latinis a patruo, *Franciſco Merighio*, Viro ordinis eccleſiaſtici eruditus, elegantiores a neſcio quo *Bruſa Molina* edoctus fuit. Cui etiam in philoſophia operam dedit, quam quarto decimo ætatis anno abſolvit. Hic adoleſcentulus annos natus non amplius quatuordecim, in ipſo ætatis flore, antequam voluptatum afficeretur illecebris, jam earum tœdio captus Ordini Camaldulenſi nomen dedit, in quo rigidæ & auſteræ vitæ inſtituto innocentiæ ac nivei pudoris decus tutaretur. Religioſæ vitæ ac virtutum monaſticarum tyrocinium poſuit in Claſſitano S. Romualdi Aſceterio prope Ravennam. Quo exacto Theologiæ ſtuduit præceptore uſus *Julio Cæſare Carena*, Monacho Camaldulenſi quam docto tam pio. Ex diſcipulo factus Magiſter per viginti & plures annos ſumma cum ingenii ac doctrinæ laude graviorum diſciplinarum, Philoſophiæ ac Theologiæ, tradidit præcepta. Multi ab ejus diſciplina viri clariſſimi doctiſſimique prodierunt, quos inter ingenio, eruditione & doctrina aliis antecelluerunt *Florianus Maria Amigonius*, *Petrus Canetus*, *Guido Grandius* præter *Caſimirum Calaminium*, *Romanum Auguſtinum de Floribus*, *Paulum Antonium Maſtrium*, alioſque. Barbariem, cujus jugo ingenuæ literæ oppreſſæ graves ciebant gemitus, ab earum depulit cervicibus, inſtituta in Monaſterio Claſſitano *Academia Concordium*, quæ viros omnibus iis artibus, quibus liberales atque ingenuæ diſciplinæ continentur, præcellentes magno dedit numero. Ejus *Cuſtos* qui eſſet, nemo *Romano Merighio* dignior eſt viſus. Cum ad Academicos de ſuggeſtu verba fecit, quæ ſæpius fecit, nihil ejus oratione, & verborum & ſententiarum minime vulgato genere exculta, ſuavius, amœnius, elegantius. Non minoris venuſtatis atque elegantiæ Veneres, flores, & lepores in ligatam ejus confluxerunt orationem. *Paulo Antonio* Ordinis ſeu Congregationis ſuæ Generali eximie fuit charus, quo ſuffragante ad Abbatis aſcendit dignitatem. Ob rerum uſum & Oeconomiæ peritiam *Procura-*

ra-

rator Generalis totius facri Ordinis fumma omnium voluntate conftitutus fuit. Liti, quæ Claffitano Monafterio cum Provincia Veneta multis interceffit annis, felicem impofuit finem. Sed cum acriori, quam par erat, contentione Ordinis rationibus ac commodis provehendis ftudet, graviffimum, eumque affiduum capitis dolorem fibi accerfivit, quo mifere conflictatus, utroque & Abbatis & Procuratoris munere abfolvi petiit. Sed tantum abeft ut a regimine amotus fuerit, ut illud etiam profequi juffus fuerit. Tantum fuperiores in ejus reponebant prudentia. Ob præftantiam ingenii ac doctrinæ multos non infimi nominis habuit amicos. Valuit etiam fingulari gratia apud Purpuratos Patres *Norifium*, *Petruccium*, *Barbarinum*, *Pamphilium*, aliofque plures. Ad extremum poft multas preces miffionem a regendis monafteriis nactus, omnem cogitationem in eo habuit defixam, ut ad eam fe pararet mortem obeundam, qua ad meliorem migratur vitam. Ut ad hanc vero certiffimam fibi muniret viam, totum fe pœnitentiæ addixit ftudio. Præter alia efu carnium etiam in morbis fibi interdixit. Quid? quod nec pifcibus, quantumvis ad palatum effent, vefci voluit. Pari aufteritate, ac pœnitentis animi ardore a vioi abftinuit potu. Lacrymas cur fere perennes funderet, ab *Ægidio Paffolino*, monacho Camaldulenfi, qui ei ægrotanti magna charitate inferviebat, interrogatus, *an non vis fili*, refpondit, *ut defleam peccata mea?* Nomen *Æternitatis* majufculis literis fcriptum in cella parieti affixit, in cujus octo literis magnam ad vitam pie ac fine peccato tranfigendam vim non immerito effe cenfebat. Longum foret, omnes ejus enumerare virtutes, præfertim animi demiffionem, in morbis patientiam, erga pauperes inopiaque preffos charitatem vere chriftianam. Tandem morbo confumptus anno 1737. die 17. Maji pie, uti vixerat, e vita difceffit.

Ejus Opera in lucem data funt pleraque facri argumenti, ftylo, fi unum alterumve excipias ligato.

I. *Rimprovero agli Accademici* Concordi *in lode del Reverendiffimo P. Abate Don* Paoloantonio Zaccarelli *Vifitatore dell' Ordine Camaldolefe*. Orazione del P. Don Romano Merighi *Abate di Claffe*, *detta nell' Academia de'* Concordi *in* Ravenna *per la efaltazione di fua Paternità Reverendiffima al Generalato della fuddetta Congregazione*. *In* Bologna *per gli Eredi del* Sarti 1691. in foglio. id eft: *Exprobatio Academicis* Concordibus *in laudem Reverendiffimi P. Abbatis Dom.* Pauli Antonii Zaccarelli, *Vifitatoris Ordinis Camaldulenfis*. Oratio a P. D. *Romano Merighio Abbate Monafterii Claffitani habita in Academia* Concordium Ravennæ pro *Paternitatis fuæ Reverendiffimæ exaltatione ad Generalatum dictæ Congregationis*. *Bononiæ typis hæredum Sarti an.* 1691. *in fol.*

II. *Il* Neffo, *ovvero il* Senfo *non corrifpofto dalla Ragione*. Idilio *di Don* Romano Merighi *Camaldolefe Abate* di Claffe *di* Ravenna *fra gli Arcadi* Retilo Caftorèo: id eft: *Neffus*, feu *Senfus*, *cui recta ratio non confentit*. *Idilium Dom. Romani Merighi Camaldulenfis Abbatis Monafterii Claffitani prope Ravennam*, *inter Arcades dicti Retilo Caftoreo*.

III. Logilde, *ovvero Rifpofta della Ragione al Senfo*, id eft: *Logildis*, *feu Refponfio rectæ rationis ad fenfum*. Quod utrumque Opufculum excufum eft Venetiis apud Poletum in 8.

IV. *Oratorio* di *San Romoaldo*, quod *Romæ*, *Venetiis*, *Senis*, *Perufii*, aliifque in civitatibus recitatum, magnum tulit plaufum; denique typis *Bortoli Venetiis* excufum fuit per eam occafionem, qua Monachi S. Michaelis Muriani folenne triduum pro complemento fæculi feptimi a S. P. Romualdi ad Superos exceffu celebrarunt.

V. *Divozione alla Gloriofa S. Gertrude per le cinque Grazie concedute dal fuo Spofo Gesù*, ex Infin. Divin. Piet. lib. 2. cap. 20. *Data in luce*, *e amplificata con cinque Sonetti da D. Romano Merighi Abate Camaldolefe*, *in occafione di celebrare la di lei Fefta nel Monaftero di S. Salvatore di Forlì*. *In Bologna nella Stamperia del Barbiroli* 1707. in 8. id eft: *Devotio ad Gloriofam S. Gertrudem pro quinque gratiis*, *ipfis conceffis a fuo Sponfo Jefu*, ex Infin. Divin. Piet. lib. 2. cap. 20. *In lucem data & amplificata cum quinque Cantionibus a D. Romano Merighio Abbate Camaldulenfi*, *per occafionem*, *qua ejus Feftum in Monafterio S. Salvatoris in Foro Livii celebratur*. *Bononiæ ex Typographia Barbiroli an.* 1707. *in* 8. Quod Opufculum poftea Forolivii recufum fuit cum additione quarumdam Cantionum.

VI. *Li Mifteri della Corona del Signore*, *e quelli del Rofario Santiffimo di Maria Vergine portati in varj Sonetti* in 8. pag. 30. Forolivii per Jofephum Selva. id eft: *Myfteria Coronæ Domini*, *& quæ Sanctiffimum Rofarium Mariæ Virginis complectitur variis Car-*

Carminibus. Forolivii in 8. pag. 30. typis Joſephi Selva.

VII. *Delle Poeſie dell' Abate D. Romano Merighi Camaldoleſe, detto tra gli Arcadi Retilo Callorèo. Parte prima dedicata all' Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Principe il Signor Cardinal Filippantonio Gualterio Legato di Romagna, e Veſcovo d' Imola. In Forlì per il Dandi* 1708. *in* 4. *pag*. 248. id eſt: *Carmina D. Romani Merighii Abbatis Camaldulenſis cognomento inter Arcades Retili Callorei. Pars prima dedicata Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Principi Domino Cardinali Philippo Antonio Gualterio Legato Romaniæ & Epiſcopo Imolenſi. Forolivii per Dandum* 1708. *in* 4. *pag*. 248.

Pars II. nuncupata fuit *Raymundo Ferretti, Archiepiſcopo Ravennati, & Principi, typis pariter data per Paulum Selva an*. 1708. *in* 4. *pag*. 235.

Vitam Auctoris in literas retulit *Anſelmus Coſtadonius*, S. Michaelis Muriani doctiſſimus Cœnobita, quam *Angelus Calogierà* ejuſdem celeberrimi Aſceterii Monachus Tomo XXVI. pag. 121-154. Collectionis ſuæ Opuſculorum Scientificorum & Philologicorum inſeruit.

LXXXIV.

S. P. ROMUALDUS.

S. P. Romualdus Eræmiticæ vitæ in Occidente præcipuus inſtaurator, atque ſacri Ordinis Camaldulenſis glorioſus Fundator, *ſui humiliatione & contemptu*, ut Clemens VIII. Pont. Max. in ſua teſtatur Bulla (*a*) *Spiritus Sancti qui ſuper humiles requieſcit, domicilium factus, ſacrarum Scripturarum intelligentiam, & prophetiæ donum conſecutus eſt*.

Cum aliquando (*b*) in extaſim Miſſam celebrando raptus fuiſſet, tum longo temporis ſpatio ſiluit, ut quotquot præſentes adeſſent, mirandum in modum obſtupuerint. Peractis ergo divinis, toti Congregationi Dei arcanum referare coactus, raptus, inquit, in cœlum oblatus ſum ante Deum: & continuo mihi Divina voce præceptum eſt, ut ſecundum intellectum, quem Deus mihi immiſit, pſalmos exponerem, & pro modulo mei ſenſus chartulis per ordinem commendarem. Ego autem nimio, & inenarrabili terrore conſtrictus reſpondere nihil aliud potui, niſi tantummodo fiat; fiat. Porro tanta verborum ac vultus majeſtate Pater Sanctus hæc verba retulit: tantum ex ipſo ad Deum acceſſu divino ſplendore ejus facies (ſicut de Moyſe contigit) reſplendere viſa eſt, ut diſcipuli humi proſtrati veniam de perpetrato crimine poſtulaverint ſuppliciter ſinguli, nec indignos pœnitentiæ fructos ſponte acceptatim egerint: præter *Romanum* qui a *S. Romualdo* deficiens ut reprobus, cum Nucerinum Epiſcopatum per biennium occupaſſet, vitam denique cum dignitate divina eum feriente juſtitia, miſerrime amiſit. Expoſuit itaque Vir ſanctus totum Pſalterium, & nonnulla Prophetarum Cantica tam ſano intellectu, ut nil pulchrius in eo genere, ac ſanctius hujuſmodi lucubratione videri poſſit. Aſſervatur inſigne monumentum in ſacræ Camaldulenſis Eremi Templo inter ſacras Reliquias maxima reverentia: pro ea videlicet interpretationis parte, quæ a primo Pſalmo ad nonageſimum uſque protenditur in verſiculo: *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus*. Reſiduum namque voluminis ſive improbitate, & injuria temporum: ſive incuria priſcorum patrum, ſeu potius curioſiorum hominum ſubtractione, tam a venerabilibus Eremitis, quam a toto Camaldulenſium Ordine jam dudum nequicquam deſideratur.

Meminit hujus Expoſitionis Mabillonius Annal. Ord. S. B. Tom. IV. p. 275. his verbis: „ S. Romualdus in extaſim raptus „ divina voce ſibi præceptum audivit, ut „ Pſalmos Davidicos exponeret, quod incunctanter aggreſſus eſt, totumque pſalterium, & quædam prophetarum cantica, licet grammaticæ regulis haud ſervatis, luculenter expoſuit. Aſſervatur „ in ſacrario Eremi Camaldulenſis hic „ Pſalmorum Commentarius, propria Romualdi manu deſcriptus, quem olim nos, „ dum in illa ſacra Eremo verſaremur, „ oculis inſpeximus. „

Et in *Muſæo Italico* pag. 181. hæc habet: In Sacratio aſſervarur *Sancti Romualdi Commentarius in Pſalmos*: in cujus operculo, quod ex ſerico rubeo conſtat, hæc leguntur: *Iſtud Pſalterium ſcripſit, & gloſſavit manu ſua propria ſanctiſſimus ac beatiſſimus Romualdus, ſicut præceperat ſibi Deus, quando fuit raptus in paradiſum, celebrans Miſſam in Eremo Sytriæ, ut ſcribit beatus Petrus Damianus Presbyter Cardinalis in Legenda*

(*a*) Legi poteſt apud Bolland. Tom. 2. Febr. poſt vitam S. Romualdi.

(*b*) Aug. Flor. Hiſt. Camald. l. 1. c. 36. p. 82.

genda sua. Hic Commentarius incipit a primo Psalmo in hunc modum: *Beatus vir. Iste psalmus proprie de Filio dicitur &c.*

Cum S. Romualdus Parentii, quod est Istriæ monasterium, aliquamdiu habitaret, tanta ei lacrymarum vis cœlitus concessa est, ut in publico Missam celebrare non auderet. Ibidem

Libellum de pugna dæmonum

scripsisse dicitur. Mabill. Annal. Bened. tom. IV. p. 229. Rem sic contigisse narrat Hieronymus Pragensis in vit. cap. 3. num. 10. „ Habitabat Sanctus Pater Romualdus prope civitatem Parmensium „ (imo *Parentium*) duobus annis in cella „ reclusus: & ecce eremitæ, qui morabantur in solitudine, quæ Bifurcum dicitur, miserunt nuntium ad virum sanctum, flagitantes ab eo consilium, qualiter in eremo conversari deberent, qualiterque diabolicis tentationibus resistere possent. Ad hæc Pater Sanctus respondit: Ego, inquit, nunc libellum de pugna dæmonum scribo, quem vobis cum redieritis dabo, vel certe ipse vobiscum forsitan venio. Hoc illi audientes protinus in faciem se prosternunt, & ut cum illis ire dignaretur importuna supplicatione deposcunt. „ Hæc ille. Quid vero de libello factum sit, num exciderit, vel an adhuc superstes sit, ignoramus.

Mihi nullus dubitandi locus relinquitur, quin divino factum sit consilio, quod S. P. Romualdus non *Libellum* modo *de pugna dæmonum* conscripsit, sed Davidicos etiam explanarit Psalmos: hoc enim exemplo suos edocuit alumnos, cujus argumenti oporteat esse lucubrationes, quas in lucem edendas susciperent. Nec illi non obsequuti fuerunt. Neque enim eorum libri alterius ut plurimum sunt argumenti, quam quod ad Historiam, Disciplinam, & Ascesim sacræ spectat Camaldulensis Familiæ. Quare nemo est, qui prudentia & judicio valet, qui non optime de iisdem judicat: si qui fuerunt, qui vix duo tresve, quod sciam, fuerunt, qui libros de Geometria, aliisque disciplinis Mathematicis vulgarunt, ii Monachi, non Eremitæ extiterunt. Ut enim illi minus austerum vitæ genus in cœnobiis ducunt, ita etiam graviores hujuscemodi scientias in publicis docendi Academiis habent facultatem. Quod nostra ætate *Guido Grandus* Regiæ celsitudinis Cosmi III. Magni Ducis Etruriæ Theologus & Mathematicus in Pisana Universitate summa cum laude præstitit. Quod si igitur libri, ut dicitur, suos censent auctores, si quos Camaldulenses exemplo S. P. Romualdi ediderunt, ejus sunt generis, & commatis, ut boni nominis famam suis conciliarint Scriptoribus.

LXXXV.

ROMUALDUS A BERGOMO.

Romualdus a Bergomo, Eremita Camaldulensis, Congregationis Montis Coronæ, & in Alma Urbe Reverendissimi Patris Procuratoris Generalis præfatæ Congregationis Socius scripsit Italice.

La Croce del Cristiano, Opera divisa in due Parti. Dove si dichiara la Pratica di seguitare il Signor Gesù Cristo con la sua propria Croce. i. e. *Crux Christiani, Opus in duas distributum partes, in quo Praxis sequendi D. N. Jesum Christum cum sua propria Cruce declaratur. Romæ anno 1721. in 8. ex Typographia S. Michaelis a Ripa grande*. Iste liber est doctrina plurima, gravi, solidaque, & quam maxime Catholica, utpote ex Scriptura Sacra, & SS. PP. præcipue vero ex S. Thoma Aquinate deprompta refertus; quam ob rem in eo iter tutum, & via, ut dicitur, regia ad ferendam Crucem post Jesum, omnibus Christi fidelibus indicatur & explanatur.

Ad finem Operis accedit *Appendix*, in qua breviter ostenditur per XII. Capita Praxis animas ad perfectionem perducendi. Lectu iterum omnia digna, præsertim ultimum Caput, in quo de Examine Visionum & Revelationum agitur.

LXXXVI.

SAMUEL CLUSENTINUS.

Samuel Clusentinus, Monachus Camaldulensis Monasterii SS. Angelorum Florentiæ, novam editionem *Regulæ S. P. Benedicti ex Latino in Etruscum translata idioma ab Abbate Silvano Razzi* accuravit Florentiæ anno 1574. in 4. Quam Reverendæ Matri Bernardinæ Bentivogli Abbatissæ Monasterii S. Christinæ in Bononia Ord. Camald. epistola nuncupatoria dicavit.

Scripsit Dialogos quosdam de partibus & potentiis animæ qui Manuscripti extant in Bibliotheca Angelorum Florentiæ.

Sextus tamen ex his lucem vidit, cui titulus *il Microcosmo*. Senis typis Bonettorum anno 1589.

Epi-

Epigrammata Italica aliquot Samuelis extant in eadem Bibliotheca.

De eo Crescimbenius in Historia Italicæ Poeseos vol. 5. a quo habemus Samuelem patria fuisse Pupiensem filium Olivi de Olivis, diemque suum obiisse Florentiæ in prædicto Monasterio Angelorum anno 1604.

LXXXVII.

SEBASTIANUS A FABRIANO.

SEbastianus Avus a *Fabriano*, Monachus S. Michaelis Muriani, novum devotum opus in pagina impressum piæ contemplationis, ætatis, ac vitæ Domini Nostri JESU CHRISTI edidit Venetiis, ni fallor: ubi præter cætera mysteria, Catalogus Sanctorum Ordinis Camaldulensis pulchre prælo depictus cernitur: quod *Franciscus Panicarola*, eximius declamator, Venetiis in Templo suo D. Francisci de Vinea suis luculentissimis illustravit concionibus. Vid. August. Flor. Hist. Camald. part. 2. c. 28. p. 199.

Composuit etiam Missarum, *Quinis & Senis vocibus Librum I.* qui excusus est Venetiis apud Riciardum Amadinum, an. 1593. in 4. VVion in Lig. Vit. cap. 28. de Scriptor. Camald. & ex eo Ant. Possevinus Appar. Sac. part. 3. pag. 200.

Vulgavit præterea *Vitam S. Placidi Abbatis & Martyris* a Jo. Bapt. Cremensi, Monacho Camald. S. Michaelis Muriani ex Latino in Italicum translatam idioma, eamque nuncupavit Desiderio Angelieri Abbati Camald. S. Mariæ de Carcerib., Venetiis an. 1583. in 12.

Rosarium Deiparæ Virginis Meditationibus exornatum Venetiis apud Guerræos 1584.

De Sebastiano Possev. Appar. Sacr. Tom. I. Hypol. Maraccius Biblioth. Mar. Petrus Passus in Mag. Naturali. Maurolicus Ocean. Relig.

LXXXVIII.

SECUNDUS PICCOLATUS.

SEcundus Piccolatus, ex Abbatia Pollicinii, Abbas S. Marci Mantuæ, composuit *Cantus* nonnullos, eum sacros, tum prophanos, quorum aliqui excusi fuot Venetiis apud filios Antonii Gadoni an. 1574. in 4. Arnold. VVion in Lig. Vit. c. 28. de Script. Camald. & ex eo Possevinus Appar. Sac. part. 3.

LXXXIX.

SERAPHINUS FELLECCHIA.

SEraphinus Fellecchia, patria Nolanus, Legum peritia excelluit. Nec literæ elegantiores illi defuerunt. Ex Juris Doctore Religiosus factus Camaldulensis claruit circa annum MDCXXX. Vitam piissime actam reliquit, ex corporis vinculis, tanquam e carcere ad cœlestem evolans paradisum. Quid Scriptis consignarit, memoriæ non prodit Toppus in Bibliotheca Neapolitana pag. 277.

XC.

SEVERUS PARELLA.

SEverus Parella, Volaterranus, præstitit eleganti ingenio in carmine Etrusco: nec desunt, qui asserant, ipsum *Ludovici Ariosti* coluisse amicitias, illumque de ipso mentionem facere in ultimo Cantico, quum inquit

E Andrea Marone, e'l Monaco Severo

Ut fuit Thomas Porchachius Castilionensis, Formarium refellens, qui de *Severo* (*a*) Monacho Cisterciense Auctorem intellexisse astruit. Obtinuit *Severus* omnes fere Ordinis dignitates, & multum pro Congregatione laboravit. Ut fuit quando Vicarius Generalis Joannis Baptistæ Patavini Bononiam in habitu seculari profectus est, ut dignitati Cœnobii S. Christinæ provideret, quod Cardinalis Campegius, Legatus Pontificis Clementis VII. reformare volebat, Monachabusque aliquibus inde remotis, novam Abbatissam cum duabus aliis sororibus ibi constituit ex sancto Maglorio Faventiæ. Ut fuit, quando Cœnobium S. Michaelis Pisarum de manibus Commendatarii exemit. Ut fuit, quando Abbas S. Hippolyti Faventiæ anno 1534. captus & in arce retentus fuit, assistente illi Ægidio Stupano, qui hæc nobis (*Augustino Florentino*) recensuit, sub mortem Pontificis, quod recusaret solvere quandam pecuniarum indictam summam, a qua propterea Cœnobium absolutum fuit. Po-

(*a*) Iste *Severus* Cisterciensis, vir magna præditus doctrina, suique Ordinis princeps, fuit præceptor Greg. Cortesii S.R.E.Card.ex Ord.B.Bened., ut ipse nos docet ep.ad *Severum* data. Vid. ep. fam. *Cortesii* p.139.

Postremo cum ageret Abbatem Fabriani, & Episcopatum oblatum, ut ferunt, repudiasset; iens ad concilium Marthanum Ordinis, valetudinarius decessit vita apud Sutrium anno 1546. Reliquit editas a se aliquot Comœdias cum multis Rythmis, quæ varie distractæ sunt. Aug. Flor, l. 1. c, 22. p. 192,

XCI.

SILVANUS BOSELLO.

Silvanus Bosello in sæculo Joannes Baptista Venetiis ex illustri Comitum Bosellorum familia natus anno 1593. nondum decimo octavo ætatis anno expleto habitum Eremitarum Camaldulensium sumpsit in Eremo Rhuæ agri Patavini. Vitam religiosissimam duxit, omnibusque virtutibus ornavit, otio perpetuum bellum indixit & quidquid temporis sibi supererat libris & studio impendebat; quamvis ferme toto Vitæ suæ cursu non solum propriæ Religionis negotiis, sed & Principum, quibus ejus mira prudentia & dexteritas perspecta erat, implicitus. Major omnium Congregationum Heremitarum Camaldul, Italiæ anno 1673. renuntiatus est, quo in munere omnibus abunde satisfecit. Vicarius Generalis in Polonia delectus Heremum quinque Sanctorum fundavit. Viennensis Heremi fundator fuit sicut & aliorum. Viennæ decessit anno 1679. anno ætatis octogesimo sexto. Plura reliquit ingenii sui monumenta, e quibus multa periere, aliaque servantur MS. Viennæ & Rhuæ, eaque sunt.

I. Exercitia pro Novitiis Camaldulensibus propria, anno 1613. Annum solebat Silvanus apponere, in quo suis operibus finem dabat.

II. Relazioni fedelissime della fondazione dell'Eremo di Vienna dalla Maestà di Ferdinando II. fondato l'anno 1628. con la narrazione di tutti i progressi e mirabili accidenti occorsi dall'anno 1628. fino all'anno 1655. Tom. 2.

III. De Passione Domini Meditationes perutiles Anno 1650.

IV. Exempla moralia circa duo millia, & quidem non ea antiquiora, sed quæ nostro sæculo contigere, & vix non oculis nostris perspeximus. Tom. I. an. 1650. 1651. 1652. 1653.

V. Epistolæ.

De Silvano Fidentius Patavinus in Lib. de Eremitis Camaldulensibus qui scriptis suis claruerunt, Joannes Avogaro in Fundationibus Erem. In Necrologio Rhuensi sequens de eo fit mentio. *P. Silvanus Bosellus Venetus magna prudentia ornatus, fundator Eremi Viennensis, & bis legatus Leopoldi I. Imperatoris in Polonia, dum morabatur in Eremo Viennensi, semel Serenissimo Duci Mantuæ. Fuit Major totius Congregationis Camaldulensis quando erant simul unitæ omnes Congregationes. Obiit in Eremo Viennæ 1679.*

XCII.

SILVANUS RAZZI.

Silvanus Razzi, Latine a Guidone Grando *Ractius* dictus, sed corrupte *Radius* a Possevino nuncupatus, ex oppido Maraddio in Romandiola ex ditione Magni Ducis Etruriæ, sub parentum cura bonarum artium studiis eruditus, *Benedicto Varchio* præstantissimo suæ ætatis Philosopho, Oratori, ac Etruscæ linguæ Magistro operam dedit; quam ab ipso ita didicit, ut plane excelleret, atque Etruscus velut Cicero haberetur. Præceptori vero suo, ita in amoribus, uniceque charus erat, ut monasterio Angelorum, in quo *Silvanus* monachum induit Camaldulensem, bene admodum faceret, atque in ejus ecclesia terræ mandari vellet. Quantum autem doctrina & eruditione *Silvanus*, tantum etiam virtute, morum integritate, ac prudentia præstabat. Qua re factum, ut in Abbatem Ordinis sui electus variis præficeretur monasteriis, quorum habenas magna cum laude moderatus est. Scripsit proprio marte complura Opera, nec pauciora aliorum in Etruscum convertit sermonem. Nondum vero ad Camaldulenses se adjunxerat, cum adhuc sæcularis composuit.

La Cecca, la Balia, & la Costanza Comoedias, nec non, & Tragœdiam Gismundam, Florentiæ an. 1569.

In literas etiam pro majori parte retulit *Vitas illustrium Pictorum*, quæ sub nomine *Georgii Vasarii Equitis* typis mandatæ sunt Florentiæ Tomis III. an. 1568. in 4.

Regula S. P. Benedicti ex Latino in Etruscum translata idioma, & Commentario illustrata. Florentiæ typis Bartholomæi Sermartelli an. 1574. in 4. Hæc vero est secunda editio, nam primam Silvanus inscripsit R. P. Antonio Pisano, Priori Monasterii SS. Angelorum, & postea Majori sacræ Eremi Camald. Hanc alteram vero editionem nuncupavit Samuel Clusentinus, Mo-

Monachus Camaldulensis Monasterii SS. Angelorum Reverendæ Matri Bernardinæ Bentivogli Abbatissæ Monasterii S. Christinæ in Bononia Ord. Camald.

Huic Expositioni *Razzius* præmisit Vitam S. P. Benedicti ex Latino Italice versam, & depromptam ex Libro II. Dialogorum S. Gregorii, nonnihil stylo scriptam compendiario.

Regula Vitæ Eremiticæ, sive *Constitutiones Camaldulenses*, auctore B. Paulo Justiniano. Ex Latina in Etruscam traductæ linguam Florentiæ apud Bartholomæum Sermartelli an. 1575. in 4. Adjecit etiam ad quædam, non omnia, capita Regulæ præclaras annotationes.

Summa Sacramentorum Ecclesiæ, *juxta doctrinam Francisci de Victoria Ord. PP. Prædicatorum* ex Latino Italice versa. Florentiæ per Sermartellum an. 1575. in 12. Traduxit & de Latino in Italicum sermonem.

Evangelistarium Marci Maruli, *excus. Venetiis an.* 1580. *in* 4.

Descriptio Sacræ Eremi. Lib. I. Florentiæ 1583. in 8.

Collectorium Orationum ad Christum & B. Virginem excusum sæpius in multis Italiæ Civitatibus, in diversis formis.

Miracula Gloriosæ Virginis MARIÆ, *Dominæ Nostræ*, *ex variis & approbatis Catholicis Auctoribus deprompta Italice*. Venetiis apud Jacobum Vincenti an. 1587. in 12.

Vita seu *Gesta Mathildis Comitissæ*. Italice Florentiæ apud Sermartellum in 8.

Vitam S. P. Romualdi ab Augustino Florentino Italice scriptam recognovit.

Santi Toscani. Florentiæ an. 1593. in 4. Item ibidem an. 1627. in 4. Quæ editio extat Parisiis in Regia K. 638.

Liber Miraculorum Dominæ Nostræ, tertium impressus Florentiæ an. 1594.

Translatio S. Romualdi Æsium ac Fabrianum Italice. Latine legitur apud Bollandum mense Febr. tom. 2. d. 7. post duplicem Vitam S. Romualdi pag. 141.

Translatio Brachii S. Romualdi Camaldulum. Ex Latino Italice. ibidem.

Vita Sanctorum & Beatorum Ordinis Camaldulensis & quorumdam Eremi S. Crucis Fontis Avellanæ, & Montis Coronæ. Italice. Florentiæ in 4. an. 1600.

Corona Domini, sive de Vita Jesu Christi, in modum precationis excus.

Vita Beatæ Virginis, *& S. Joannis Baptistæ*.

De Misericordia. Lib. I.

De Vita Christi. Lib. I.

Vita quinque Virorum Illustrium.

M. Farinata degl' Uberti. pag. 1.-36.

Duca d' Athene. pag. 37.-62. fuit tyrannus Florentiæ.

M. Salvestro Medici. p. 63.-104.

Cosimo Med. il più Vecchio. p. 104.-180.

Francesca Valori. p. 180.-198.

Hujus Operis habentur duæ editiones: prima prodiit anno 1580. quam *Razzius* inscripsit illustrifs. & excell. D. Jacopo Buoncompagno, Marchioni de Vignuola, & Generali S. Ecclesiæ. Alteram adornavit *Anselmus Venturi* Camald. eamque nuncupavit Ridulpho Bardi Senatori Florentino. Florentiæ apud Junctas. An. MDCII. In fol. min.

Vita Foeminarum sanctitate illustrium collectæ & digesta per ordinem mensium. Florentiæ an. 1606. Tomis VI. Voluminibus vero III. in 4. Florentiæ apud plures typograp.

Tomus I. menses Januarium & Februarium continens inscriptus est Serenissimæ Dominæ Virginiæ Mediceæ, Ducissæ Mutinæ. Florentiæ ex officina Cosmi Giunti an. 1606. in 4.

Tomus II. exhibens menses Martium & Aprilem nuncupatus est Serenissimæ Dominæ Christinæ natæ Ducissæ Lotharingicæ. Florentiæ apud hæredes Jacobi Giunti an. 1597.

Tomus III. menses Majum & Junium complexus dedicatus est illustrifs. & excell. D. Flaviæ Perettæ Orsini Ducissæ de Bracciano. Florentiæ apud hæredes Jacobi Giunti 1599.

Tomus IV. menses Julium & Augustum habens dicatus est illustrifs. & excell. D. Olympiæ Aldobrandini. Florentiæ apud eosdem hæredes.

Tomus V. menses Septembrem & Octobrem continens DD. Virginiæ Firenzuolæ & Lauræ Bandini oblatus est. Florentiæ ex officina Jacobi Giunti an. 1602.

Tomus VI. menses Nov. & Dec. complexus ad illustrem D. Virginiam Ardinghellam scriptus est. Florentiæ typis Volcmari Timan Germani an. 1606.

Damone Pastore di Pratolino Egloga della Santa Vita e Morte della Serenissima Reina Giovanna d' Austria. In Firenze appresso il Sermartelli 1578. est & in Tomo secundo Vit. SS. Etruriæ.

Vita di M. Benedetto Varchi. Legitur in ipso initio Lectionum Varchii Florentiæ 1590.

Litanie di Nostra Signora con alcune dichiarazioni in forma d' Orazioni.

Quadragesimale ovvero Orazioni e Meditazioni per ciascun giorno di Quaresima

conforme all'Evangelio &c. In Fiorenza 1607. alla condotta.

Seconda scelta d'Orazioni nella quale si contengono Orazioni conformi agli Evangelj correnti di tutte le Domeniche, ciascun dì di quaresima e feste principali di tutto l'anno. Florentiæ apud Volcmarum Timan 1608.

Vita di Cristo Nostro Signore.

Dell'economia Cristiana e civile.

Vita di Castruccio Castracani MS. in Monasterio Angelorum Florentiæ.

Vita di M. Corso Donati MS. ibid.

Vita d'Uguccione della Fagiuola MS. ibid.

Vita del Card. Antonio Maria Salviati.

Vita di Piero Soderini. Patavii anno 1736. nitidissimis typis impressa & tabulis æneis pulcherrimis ornata.

Vite degli Imperadori da Giulio Cesare fino a Carlo V. MS.

Annali Ecclesiastici Fiorentini MS. in Bibliotheca Angelorum.

Epistola de Libris Bibliothecæ Angelorum Florentiæ e puerorum manu eripiendis. Apposita est cuidam Breviario Camaldul. MS. in Biblioth. Vaticana.

Carmina plurima Etrusca edidit.

Denique præter alia, quæ meam fugiunt notitiam, Joannem Ferum de Passione Domini Italice vertit, quæ tamen versio suspensa fuit cum aliis Joannis Feri operibus.

Non tacendum, *Silvano* nostro fuisse fratrem germanum, natu minorem, monachum Dominicanum, *Seraphinum* nomine, qui *Hortum Exemplorum*, & alia edidit, de quibus Quetifus Scriptorum Ord. Prædicat. tom. 2. p. 388. col. 1. Utriusque vero fratris, *Silvani & Seraphini* meminerunt eruditi Socii Bollandiani tom. 6. Maji die 25. p. 187. col. 1. ubi ambos doctrina & virtute fuisse conspicuos attestantur. Quos Arnoldus VVion præcessit in Ligno Vitæ lib. 1. cap. 28. de Scriptor Camald. & Guido Grandus subsequitur in Dissertationibus IV. Camald. in quibus ipsi sæpius res est cum *Silvano*, non pugna.

XCIII.

B. SIMEON.

B. Simeon Eremita Reclusus in sacra Camaldulensi Eremo circa annum 1287. ætatem egit. A confessionibus fuit ejusdem sacræ Eremi Venerabili Eremitæ, ac Christi servo *B. Peregrino*. A quo cum mirabiles illas *Visiones* quas meruit divinitus habere, accepisset, easdem literis consignavit. Asservantur adhuc manuscriptæ in sacra Eremo, teste Augustino Florentino Hist. Camald. l. 2. c. 50. p. 227. De Beato vero Simeone, viro celeberrimæ inter suos sanctitatis, in vita B. Humilianæ de Cerchis Viduæ Florentinæ mentio perhonorifica habetur teste Guidone de Grandis Dissert. Camald. I. cap. 2. ou. 10. pag. 23.

XCIV.

THEOPHILUS MACHETTI.

Theophilus Machetti Venetus, Camaldulensis Monachus, de quo Guido de Grandis Dissert. Camald. II. cap. 7. n. 7. pag. 82. „ Hugo Etruriæ Marchio „ Privilegium Abbatiæ S. Mariæ de Vangaticia concessit, quod ex Erudito atque „ Optimo Sene D. Theophilo Machetti „ Monacho nostro, refert Cosmus de Arena parte 1. de Ducibus & Marchionibus vetustis Etruriæ pag. 154. quamquam hic Auctor ad alium nescio quem „ Hugonem Etruriæ Marchionem, aliunde prorsus ignotum, id diploma referre „ malit, qua in re Machettus noster se „ illi non plane assentiri posse fatetur. „

Commentarium *de Abbatia Vangaticiensi*, & alterum *de Musica arte* pererudite conscripsit, ac MS. post se reliquit an. 1714., quo piissime obiit, in Abbatia S. Michaelis in Burgo Pisarum.

XCV.

THOMAS MINIUS.

Thomas Minius Florentinus, Monachus S. Mariæ de Angelis Florentiæ, inter eos Camaldulenses, qui rerum antiquarum sacræ suæ familiæ lapidem volverunt, loco minime postremo collocandus est. Plura in MSS. reliquit, ex quibus typis mandata fuit.

Vita B. Casimiri Poloniæ Regis, discipuli S. Romualdi. Venetiis anno 1620.

Vita SS. Joannis & Benedicti Martyrum Ord. Camald.

Catalogus Sanctorum & Virorum Illustrium Ordinis Camaldulensis. Florentiæ an. 1606. in 4.

Catalogus Praefectorum Ordinis Camaldulensis.

Historia Camaldulensis, Italice scripta, quæ

quæ in ornatissima Angelorum bibliotheca asservatur; etsi *Augustini Fortunii* Paraphrasten, & in quibusdam Ampliatorem dumtaxat agere videatur; integris ejus Capitibus ex Latino in Etruscum idioma ita conversis, ut ipsismet *Fortunii* verbis religiosissime insistat. Quod vero ad Camaldulensis Ordinis primordia attinet, *Minius* a sententia *Fortunii*, qui illa ad an. 1012. reducit, sapienter recedit, & anno 970. affigit. Videatur Guido de Grandis in Dissert. IV. Camald. a quo Vir nostrarum rerum consultissimus, deque Camaldulensis nominis dignitate optime meritus vocatur, Differt. II. cap. 1. num. 9. pag. 11.

Historiæ Monasterii Angelorum Florentiæ Italice MS. in eodem Monasterio Angelorum.

Vita B. Joannis Eremitæ Generalis Camaldulensis S. R. E. Card. Episcopi Hostiensis. Florentiæ apud Ludovicum Timan 1610.

XCVI.

TIMOTHEUS NAUFRESCUS.

TImotheus Naufreschus a *Balneo*, Monachus Camaldulensis in Monasterio, quod Alexius a Castello, Major sacræ Eremi Camalduli inter montes Balnei an. 1482. ædificavit, linguas Latinam, Italicam, Polonam, Germanicam, & Hispanicam probe callens Vitam S. P. Romualdi a Joanne Castaniza, Hispano Benedictino, Theologo, Asceta, & Ecclesiaste præcipuæ celebritatis patrio scriptam sermone, typisque Matriti anno 1580. in 4. excusam in Italicum convertit, atque edidit Venetiis apud Dominicum Imbertum anno 1605. in 4. Titulus est;

Historia della Vita di S. Romualdo Padre e Fondatore dell'Ordine Camaldolese, ch' è una Idea, e forma perfetta della vita solitaria, composta dal R. P. D. Gio: de Castagniza Monaco dell'Ordine di S. Benedetto. In Venezia MDCV. appresso Dominico Imberti in 4. i. e. *Historia Vitæ S. Romualdi, Patris & Fundatoris Ordinis Camaldulensis, quæ est Idea & forma perfecta Vitæ solitariæ, composita per R. P. D. Joannem Castaniza, Monachum Ordinis Sancti Benedicti, Venetiis MDCV. apud Dominicum Imberti in* 4.

Operam suam in vertenda isthac historia non male collocavit *Timotheus*; tum quia versionem ex jussu superiorum, & obedientia auspicatus est, tum quia ipsa Historia pretiosis plena est digressionibus, cœlestibus illustrata luminibus, tantaque scripta accuratione, ut ei non modo titulus *Ideæ Vitæ Solitariæ* ex vero competat, sed vix a quopiam, qui Deo ex animo servire cupit, præstantior doctrina expeti atque requiri possit.

Converterat jam antea *Timotheus* ex eadem Hispana lingua in Italicam *Vitas Sanctorum*, libro comprehensas, cujus titulus est. *Flos Sanctorum*, ut ipse fidem facit in Dedicatione præcedentis Operis. Non tamen omnes, sed plures Cœlitum Vitas transtulit quæ Venetiis non semel excusæ fuerant. Deinde *Flos Sanctorum* a Timotheo versus discerni debet ab illo, quem *Petrus Ribadeneira* S. J. in lucem dedit. Vid. Ant. Possev. Appar. Sac. par. 3. pag. 319. Item

Tractatum de Oratione Ludovici Granatæ.

Memoriale de Amore sancto ejusdem.

Ducem Peccatoris ejusdem.

Regulam Vitæ Christianæ ejusdem.

Montem contemplationis ejusdem.

Administrationem Animarum ejusdem.

Sponsalia Spiritualia ejusdem.

De divino Amore Meditationes centum Didaci Stellæ.

Historiam Pontificum & Imperatorum.

De Timotheo Possevinus Appar. Sacr. Tom. I. Petr. Calzol. Histor. Monastica. Thom. de Minis Hist. Camald.

XCVII.

TIMOTHEUS E BIBLENA.

TImotheus e Biblena, Etruriæ oppidulo Monachus Angelorum Florentiæ ab ingenii solertia, ac virtute commendari meruit; qui Musis deditus, quod insignes poetas æquare posset, creditum est, si vitæ longioris fuisset sortitus cursum; ex vita S. P. Benedicti heroico carmine inchoata, quam imperfectam reliquit morte præventus immatura, anno 1531. simul ex variis carminibus in honorem Crucifixi, & Deiparæ Virginis, quæ adhuc in Cœnobio leguntur. Ex Aug. Flor. Hist. Camald. part. 2. lib. 4. c. 22. pag. 193. cum laudat Delphinus lib. 12. epist. 88.

XCVIII.

VENTURA MINARDUS.

VEntura Minardus, Atheftinus, Monachus Camaldulenfis in Monafterio Carcerum floruit poft medium feculum XVI. Compofuit

Monopanton, de Balneis Calderii in agro Veronenfi excufum Venetiis anno 1571. *in* 8.

Advertit vero Guido de Grandis Differt. Camald. III. cap. 5. n. 16. pag. 78. quod cum *Minardus* in fuis Dialogis de balneis Calderii, non pauca de Camaldulenfis Eremi fundatione, totiufque Ordinis origine & fplendore, ac Viris ejus doctrina & fanctitate illuftribus differat, Maldulum quidem commemoret, fed Romualdi Vifionis Scalæ, feu penitus incompertæ, feu nihil in Scala ejufmodi; etiam ad Maldulum relata, myfterii recognofcens (de mutatione habitus certe non cogitans) nullam prorfus mentionem ingerat. Scripfit *Minardus* & Italice: Compendio delle Regole date da diverfi eccell. Autori intorno ai Bagni di Caldiero pofti nel Territorio Veronefe, con un Dialogo della Minera contenuta in dette acque e fanghi e feparazioni fatte da effe. In Verona 1594. appreffo Girolamo Difcopolo.

Lucubravit etiam *Centum devotiffimas Orationes*, ex Evangeliis defumptas, ad vitam D. N. J. C. pie meditandam aptiffimas. VVion in Lig. Vit. lib. 1. cap. 28. de Script. Camald. in Addendis.

Item fcripfit *De Infigne Malduli*, tefte Auguftino Florentino Hift. Camald. lib. 1. c. 27. p. 63. Ubi vero hæc fcripta afferventur, vel omnino exciderint, nos præterit.

De conflictu vitiorum & virtutum deque Babylonis in Hierufalem Spirituali Imperio Decades duodecim. MS. in Bibl. S. Michaelis Muriani. De eo Poffev. Ap. Sac. Germ. Vecchius in carminibus.

XCIX.

VITALIS AQUÆDUCTUS.

VItalis Aquæductus, Monachus Camaldulenfis edidit Commentariolum de antiquitate Cæfareæ, & Claffitanæ Urbis in Flaminia, atque ædificatione Templi S. Apollinaris Ravennæ, in quo B. Romualdus hunc ipfum Sanctum Epifcopum & Martyrem femel atque iterum afpectabilem habuit. Vid. Auguftinum Flor. Hiftor. Camald. part. 11. lib. 1. cap. 1. p. 5. cui *Vitalis Commentariolus* lectus fuit, ex quo cap. 2. p. 7. concinnam, elegantem, beneque Latinam de Templi ornatu fane pretiofo affert defcriptionem, in quo tamen infertam fabulam minime probat, quod Juftinianus Imperator puer olim profugus, incognitufque Ravennæ fex annis educatus fit fub cuftodia nutricis fuæ, quæ extitit famula uxoris Juliani argentarii, quo mediante Juftinianus fubinde templum S. Apollinari facrum immodico fumptu ædificarir. In eo vero *Vitali* affentitur, cum fcribit, Templum illud auguftum anno 595. ftetiffe abfolutum. Huc enim tendit Elogium illud vetuftiffimo in lapide fculptum in Templi medio literis ejus feculi.

Cœterum notandum eft, Ravennam antiquitus *Cefarea* & *Claffis* nomen habuiffe, tefte Jornande de rebus Gothicis cap. 29. *Trino*, inquit, *urbs ipfa vocabulo gloriatur, trigefimaque pofitione exultat*, i. e. *prima Ravenna, ultima Claffis, media Cefarea*. Quin imo quinque Ravennæ partes, eafque nobiles, inter quas *Cæfarea* & *Claffis*, tribuit Rubeus ad annum 655. Ortelius tamen in Thefauro geographico ad vocem *Ravenna*, hallucinationis arguit citatum Jornandem, quod eam *trinominem & ex tribus vicinis unicam faciat. Hæc enim*, inquit, *potius ejus fuburbia fuere*. Sed efto: quid pugnat & fuburbia fuiffe, & fuæ tamen urbi fuiffe fynonima. Vid. Acta SS. in Comment. præv. ad Vit. S. Apoll. die 23. Julii p. 331. col. 1. num. 19.

C.

VITALIS ZUCCOLUS.

VItalis Zuccolus Nobilis Patavinus Sacræ Militiæ Tyrocinium pofuit in Monafterio S. Michaelis Muriani ubi profeffionem emifit die prima anni 1574., feque ftudiis totum dedit Ita ut femper dum a reliquis vitæ religiofæ exercitiis vacaret, vel legeret vel fcriberet, ut mirum fit nonagintaduo Volumina fcribere potuiffe & fimul injuncta minifteria Integre adimplere & fancte, ut femper ftuduit, ipfis perfungi. Abbas factus Monafterium fuæ Profeffionis rexit; Vifitator poftea Congregationis, inde in Romana curia Procurator generalis ad Abbatiam Carcerum regendam affumptus ad quingentos homines inundationibus & caritate preffos fubfidia vitæ fumma

ma charitate contulit ita ut Ducalibus literis a Senatu laudatus sit. Obiit in Monasterio S. Luciæ de Viceria anno 1630. fere octogenarius contagio correptus sed immortalem de se memoriam posteris reliquit. Edidit

I. M. Henrici a Gandavo doctoris acutissimi & celeberrimi Archid. Tornacensis aurea Quodlibeta, hac postrema editione commentariis doctissimis illustrata M. Vitalis Zuccoli Patavini Ordinis Camaldulensis Theologi clarissimi. Seravalli Veneti 1608. T. 2. in fol.

II. Trattato de' Traffichi giusti & ordinarii composto dal M. R. P. Tomaso Buoninsegni Senese dell' Ordine de' Predicatori &c. e tradotto dalla lingua latina nella volgare per il R. P. D. Vitale Zuccoli dell'Ordine Camaldolese &c. In Venezia appresso Giorgio Angelieri 1588. in 8.

III. Enarrationes in Evangelium Divi Marci. Venetiis 1605. in 4.

IV. Enarrationes in Evangelium Divi Lucæ. Venetiis ex Typographia Ambrosii Dei 1617. in 4.

V. Discorsi sopra le cinquanta conclusioni del Tasso. In Venezia per Giorgio Angelieri, e in Bergamo per Comino Ventura in 4.

VI. Dialogo delle cose Meteorologiche secondo i Filosofi. In Venezia appresso Paolo Mejetto 1590.

Sequentia Zuccolii opera MSS. asservantur in Bibliotheca S. Michaelis Muriani.

VII. Enarrationes in Evangelium Divi Matthæi Tom. 4. in 4. & Tom. 1. in fol.

VIII. Enarrationes in Evangelium Divi Joannis Tom. 4. in 4. & Tom. I. in fol.

IX. Sermo de S. Marco.

X. Enarrationes in Psalmos Tom. 6. in 4. & Tom. 3. in fol.

XI. Expositio Homiliastica in Missale Romanum Tom. 10.

XII. Expositio in Cantica Canticorum Tom. I. in fol.

XIII. Ragionamenti sopra la Cantica o sia Traduzione supradictæ expositionis Tom. 2. in 4.

XIV. Encomia Beatissimæ Virginis lib. 18.

XV. Expositio in Epistolam D. Pauli ad Romanos.

XVI. Opus Redemptionis de Passione Domini.

XVII. Opus de Pœnitentia.

XVIII. Sacrarum Epistolarum Libri VII.

XIX. Quadragesimale.

XX. Sermones Dominicales & de Tempore.

XXI. Tabularum Logicalium Lib. XII.

XXII. Tabularum Rethoricalium Lib. XX.

XXIII. Tabularum Physicalium Libri XXXV.

XXIV. Tabularum Metaphysicalium Libri XIII.

XXV. Tabularum Moralium Lib. II.

XXVI. Tabularum Politicarum Lib. XV.

XXVII. Tabularum Mathematicalium Libri XXII.

XXVIII. Tabularum Theologicalium Libri XL.

XXIX. Commentaria & Quæstiones in Platonis Hipparcum vel de lucrandi cupiditate.

XXX. Comment. in Theag. vel de Sapientia.

XXXI. Comment. in Mio. vel de Lege.

XXXII. Comment. in Amat. vel de Philosophia.

XXXIII. Comment. in Eutiph. vel de Sanctitate.

XXXIV. Comment. in Alcibiadem primum vel de Natura hominis.

XXXV. Comment. in Alcibiadem secundum vel de Voto.

XXXVI. Comment. in Men. vel de Virtute.

XXXVII. Comment. in Cratylum vel de recta nominum ratione.

XXXVIII. Comment. in Timæum vel de Mundi natura.

XXXIX. Comment. in Parmenidem vel de uno omnium principio & ideis.

XL. Comment. in Phil. de summo bono, vel de voluptate.

XLI. Dialogorum Philosophicorum Lib. V.

XLII. Dialogo sopra le Meteore secondo gli Astronomi.

XLIII. Discorsi Platonici del Mondo e dell' anima.

XLIV. Discorsi sopra le Conclusioni amorose di Girolamo Vida Discorsi LXIII.

XLV. De Eloquentia Tractatus XX. Tom. 2.

XLVI. Theatri Eloquentiæ Gradus II.

XLVII. In artem concionandi Tom. III.

XLVIII. de Artibus disserendi Lib. V.

XLIX. Poetica Pastorale con dieci Pastorali.

L. In Regulam S. Benedicti Tom. II.

LI. Vita, Mors, Encomia, & Discipuli S. P. Romualdi metro decantata.

LII. Confessionum de quinque talentis Lib. V.

LIII. Comment. & Paraphrasis in Epistolam Divi Pauli ad Galatas.

LIV. De Laudibus S. Cæciliæ Virginis & Martyris ex cap. XIII. Proverbiorum.

LV.

LV. Pro Sanctis Mulieribus Apologeticon.

LVI. Frammenti di varj Opuscoli.

De Zuccolio Benedictus Puccius Epist. Lib. 4. Possev. Ap. Sacr. Tom. I. Anton. Bessa Negrinus Hist. Famil. Castillon. Arnoldus Lign. Vitæ. Hippol. Marac. Biblioth. Mariana. Franc. Sansov. Histor. Ven. lib. 13. Gabr. Bucell. An. Bened. ad an. 1595. & Chr. Mariana ad eumdem an., ubi supine errat scribens Zuccolum *insigne Congr. S. Justinæ Sydus claruisse*. Rarum virum vocat & laudat Min. Hist. Camaldul. Crescimbenius in Com. Vulgaris Poesis Tom. V. & alii passim.



MONITUM AD MANTISSAM

SEU

CATALOGUM SCRIPTORUM

in Centifolio prætermiſſorum.

PRæter eos Scriptores, quos in Centifolio complexus ſum, ſunt alii quam plures, quos tacitos reliqui. Neque enim animo unquam ſedit, integram, numeriſque ſuis abſolutam omnibus dare *Bibliothecam*. Quam de Italis pleriſque Scriptoribus dare homo Germanus ſi voluiſſem, non potuiſſem, ſi potuiſſem, ſpartam quaſi alienam ac ſcribendi gloriam ipſis doctiſſimis Camaldulenſibus præripere non voluiſſem. Quidquid vero hoc opellæ eſt, ſua non carebit utilitate, ut enim vini guſtus emptorem vocat, ſic Centifolii hujus lectio deſiderium integræ pervolvendæ Bibliothecæ in Lectoris accendet animo; quod, ut ſperare fas eſt, proxime V. C. *Anſelmus Coſtadonus*, vel alius doctiſſimus Camaldulenſis explebit. Mihi liceat interea Catalogum adjicere Scriptorum, ſi non omnium, permultorum tamen exceptis etiam anonimis qui plurimi ſunt, quorum nulla in Centifolio habetur mentio. Hunc pro ſingulari ſua humanitate mecum communicavit D. *Angelus Calogerà* Monachus Camaldulenſis humaniſſimus juxta ac eruditiſſimus. Eſt vero ſequens

A

Adalbertus Cracovienſis.
Adeodatus Jacobini Balnenſis.
Albertus Corradini Patavinus.
Albertus Maria Peruſinus.
S. Albertus Senenſis.
Alexander Ceva Taurinenſis.
Alexander Secchi Venetus.
Alexius Barotius Venetus.
Alphonſus Euſemi Peruſinus.
Aloyſius Gorus Balneocaballenſis.
Aloyſius de Grandis Gallus.
Aloyſius Lazzerus Belneocaballenſis.
Andreas Barbieri Venetus.
Andreas a Faventia.
Andreas Vallemanus Fabrianenſis.
Angelus Evangeliſtius Florentinus.
Angelus Monachus.
Angelicus Gentili.
Angelicus Provedalis Mantuanus.
Angelus a Prato.
Anicetus Dandi Forolivienſis.
Anſelmus de Venturis Florentinus.
Antonius Florentinus.
Antonius Franciſcus Caramelli Florentinus.
Antonius Corſus Piſanus.
Antonius Savinus Florentinus.
Antonius Maria Triſſino Vicentinus.
Apollinaris Montanari Balneocaballenſis.
Apollinaris Pedemontanus.
Archangelus Mantuanus.
Ardicinus a Porta Novarienſis S. R. E. Card.
Athanaſius Cracovienſis.
Auguſtinus Guerra.
Auguſtinus Morelli Neapolitanus.
Auguſtinus Roſſini Venetus.
Auguſtinus Neapolitanus.
Auguſtinus alter Neapolitanus.

B

Baptiſta Perulli Fabrianenſis.
Bartholus Cæus.
Bartholomæus Fabagroſſius Cremonenſis.
Baſilius Nicolis Taurinenſis.
Baſilius Schio Vicentinus.
Benedictus Bruni Florentinus.
Benedictus Lovera Savilianenſis.
Benedictus Venetus.
Benedictus Neapolitanus.
Bernardus Burgundus.
Bernardus Polonus.
Bonaventura Cremonenſis.
Bonaventura Generalis.
Bonifacius Sartorius Patavinus.
Bonifacius Venetus.

C

Casimirus Galamini Britonoriensis.
Clemens Fondi.
Constantius Hierotheus.
Constantius Melchiori Tridentinus.

D

David Dandinus Senensis.
Dionisius Zaulus Forolivienſis.
Dominicus Petricini Venetus.
Dominicus Portesanus Cremonensis.
Donatus Milcetti Faventinus.
Dorotheus Cretensis.
Dorotheus Venetus.

E

Eugenius III. Abbas primum Camaldulensis S. Zenonis Pisarum, postea S. Bernardi discipulus.
Eusebius a Diruta.
Eusebius Lintus Veronensis.

F

Faustinus Emilj Brixiensis.
Faustus Arditius Pisaurensis.
Fidentius a Patavio.
Firmianus Polonus.
Flaminia Bombaci Bononiensis.
Florianus Maria Amigoni Meldulensis.
Floridus Titi Tiphernas.
Franciscus Abbas S. Michaelis de Muriano.
Franciscus Maria Carena Cremonensis.
Franciscus Gherardini.
Franciscus Giuntini e Clusentino.
Franciscus Hispanus.
Franciscus Ipsi.
Franciscus Mansi de Lauro.
Franciscus Olivieri Perusinus.
Franciscus Pifferi a Monte S. Sabini.
Fragdianus Milusardi Balneocaballensis.

G

Gabriel Eremita.
Gabriel Guastuzzi Bononiensis.
Gabriel Giupponus Venetus.
Gabriel Landini Florentinus.
Gabriel Bianchi Venetus.
Garzias Francefchi ab Ilva.
Gaspar Rubeus Perusinus Ep. Frequentinus.
Gaudentius e Lotharingia.
Gerardus II. Generalis.
S. Gerardus Sagredo Venetus.
Gerardus Venetus.
Germanus Bonelli Balneocaballensis.
Germanus Botta Camerinensis.
Gregorius a Bergomo.
Gregorius Angelus Farulli Florentinus.
Gregorius Porrone Taurinensis.
Gregorius Sguario Venetus.
Guido Aretinus.
Guido Prior Angelorum.
Guido Ignatius Vio Venetus.
Guillielmus Cantarellus Ravennas.
Guillielmus a Neapoli.

H

Helias Fromond Cremonensis.
Hiacynthus Pico.
Hiacyntus Salvinus Florentinus.
Hieronymus ab Atri.
Hieronymus Sessa Suessanus.
Hieronymus Prior Porciliæ Professor Patavinus.
Honestus Maria Onestini Ravennas.
Horatius Tarditus Romanus.
Hortensius Rossi.

I

Jacobus Azzo Venetus.
B. Jacobus de Certaldo.
Jacobus Turricelli Faventinus.
Ignatius Sei Mothenas.
Innocentius Tantardinus Britonoriensis.
Joannes Bonus.
Joannes Crivelli Venetus.
Joannes Grilli Bononiensis.
Joannes Marinettus Murianensis.
Joannes Mauroceno Venetus.
Joannes Miniatensis.
Joannes Antonius Bernardini Venetus.
Joannes Baptista ab Aversa.
Joannes Baptista Barba Novariensis.
Joannes Baptista Barcellini.
Joannes Baptista Cremensis.
Joannes Baptista Loffredus Neapolitanus.
Joannes Baptista a Prato.
Joannes Gualbertus Campana Pisanus.
Joannes Chrysostomus Cheppius Mantuanus.
Joannes Jacobus Bespinus Romanus.
Joannes Maria Raynerius a Castrofranco.
Jordanus Muneghina Patavinus.
Julius Guasco Alexandrinus.
Julius Cæsar Carena Cremonensis.
Justinianus Bergomas.
Justus Venturini a Pontremulo.

L

Lælius Ravellus Brisichillensis.

Leo

Leo Tordellus Aretinus.
Lucas Hiſpanus.
Lucas Mantua Benevidio.
Ludovicus Donatus Venetus.
Ludovicus de Grandis Gallus.
Ludovicus Romanini Cæſenas.

M

Marcos Antonius Molino Venetus.
Maria Columba Pepoli Cæſenas.
Marinus Miſerocchi Ravennas.
Marious Ravennas.
Mariottus Allegrius Aretinus.
Marius Mutius Bergomenſis.
Martinus III. Prior S. Eremi.
Mathias Bugagnato Venetus.
Mathias Goriolus Venetus.
Maurus Venetns Coſmographus.
Maurus Curſius Floreotinus Ep. Miniatenſis.
S. Maurus Hungarus.
Maurus Lapius Florentinus.
Maurus Ruggerins Vangadicienſis.
Michael Ciconia Venetus.
Michael Leonardellius Cæſenas.
Michael Angelus Superantius Venetus.

N

Nicolaus Maria a Perufio.
Nicolaus Tudeſcns Abbas Roſæ Senarum poſtea S. R. E. Cardioalis.

O

Octavius Forlinus.
Octavianus Battaglia Venetus.
Oddo Becellus Veronenſis.

P

Paulus Silvaous Balnenſis.
Paulos Bazzolanus Vangaticienſis.
Paulns Liggi e Borgo S. Sepulchri.
Peregrious Palau Barchinonenſis.
Petrus Bagnolo Balneocaballenſis.
Petrus Feraccius Cremonenſis.
Petrus Paſſus Ravennas.
Petrus Profeſſor Patavinus a Montaniaoa.
Petrus Zelandrinus Teuthonicns.
Petrus Victorius Herculanus Longianenſis.
Philippus Petiti e Cuneo.

Pius Cæſenas.
Placidus Vibius Peruſious.
Proſdocimus Morato a Muriano.

R

S. Raynaldus Epiſcopus Nucerinus.
Raimundus Micheli Venetus.
Remigius Mutinenſis.
Rodulphus a Brixia.
Romualdus Bianchi Mantuanos.
Romualdus a Bergomo.
Romualdus Folegati Comaclenſis.
Romualdus Lucheſini Bononienſis.
Romualdus Rampioneſi Bononieoſis.

S

Salvator a Sirolo.
Sebaſtianns Ziani Venetus.
Secundns Piccolatus Vangaticienſis.
Seraphinus Pace Piſaurenſis.
Seraphiuus a Tridento.
Severus Saneſi Vangaticieoſis.
Silvanus Salutienſis.
Silveſter Chaſamel Sabandus.
Silveſter Fabrianenſis.
Silveſter Menſolini Mutineoſis.
Simeon de Capoa.
Simeon Ardizzi Piſanreoſis.
Simeon Guidottus Florentinus.
Stanislaus Fidelis Cremonenſis.
Stephanos Venetus.

T

Theobaldus Epiſcopus Engubinus.
Theobaldus Eremita S. Eremi.
Theophilus Macchettl Venetus.
Titus Zeno Venetus.

V

Valeotinus Mozzius Maceratenſis.
Victorius Doni Perufinus.
Victorius Teſta a Diano.
Victorinus Totinius de Monte S. Sabini.
Urbanus a Neapoli.
Urſula Pagni Piſana.

Z

Zenobius Tantinius Florentinus.

INDEX AUCTORUM

qui in Centifolio continentur.

Abundius Collina, pag. 1
Aloyfius Maffæus. ibid.
Ambrofius Traverfarius. ibid.
Andreas Vallemanius. 7
Angelus de Anna. ibid.
Angelus Calogierà. 8
Angelus Gabrielius. 9
Anfelmus Coftadonius. 10
Antonius Francifcus Caramellus. ibid.
Antonius Parmenfis. ibid.
Arcangelus Haftivillius. 11
Archangelus Spina. ibid.
Auguftinus Romanus Fiori. ibid.
Auguftinus Fortunius. 12
Aurelius Antonellus. 14
Bartholomæus Fabagroffa. ibid.
Bafilius Vicenenfis. ibid.
Bafilius Balnenfis. 15
Benedictus Puccius. ibid.
Benedictus Buffi. 16
Benedictus Locatellus. ibid.
Bernardinus Gadolus. 17
Bonaventura Faneufis. 18
Bonifacius Collina. ibid.
Cyprianus Artufinus. 19
Clemens Orioli. ibid.
Demetrius Scaranus. ibid.
B. Eufebius Hifpanus. 20
Eufebius Priolus. ibid.
Ferdinandus Romualdus Guiccioli. ibid.
Francifcus Hifpanus. 21
Fulgentius Thomafelli. ibid.
Germanus Botta. ibid.
Germanus de Vecchis. ibid.
Gherardus II. ibid.
Gregorius IX. 22
Gregorius Farulli. ibid.
B. Guido Aretinus. ibid.
Guido Grandus. 23
Guitmundus, five Guimundus. 25
Hieroymus Alberti. 26
Hieronymus Bardius. 28
Hyacintus Maria Crocetti. 30
Hippolytus Ballarinius. ibid.
Jacobus Brixianus. ibid.
B. Jacobus de Guidis. 31
Innocentius Matthæjus Rom. ibid.
Joannes Baptifta Cremenfis. ibid.
Joannes Baptifta Loffredo. 32
S. Joannes Laudenfis. ibid.
Joannes Tarvifinus. 32
Joannes Benedictus Mittarelli. 33
Joannes Claudius Fromond. ibid.
Juftinianus Bergomas. 34
Ladislaus Radoffany. 36
Laurentius Pantaleonius. 37
Lucas Hifpanus. 38
Marcus Antonius Paggi. ibid.
B. Mariottus Allegrius. ibid.
B. Martinus. 39
Maurus Lapius. ibid.
Maurus Sartius. ibid.
Michael Monachus. 40
Michael de Monte-Fiafconio. 42
Nicolaus Biadi. ibid.
Nicolaus Manerbius. ibid.
Odoardus Maria Baroncinus. ibid.
Paulus Canalis. ibid.
Paulus Juftinianus. 43
Paulus Orlandinus. 50
Paulus Surianus. 52
Petrus Benincafa. ibid.
Petrus Candidus de Porticu. 53
Petrus Cannetus. ibid.
B. Petrus Damianus. 55
Petrus Delphinus. 60
Petrus Quirinus. 63
Philippus Fantonius. 65
Philippus Maria Macchiarelli. 66
Placidus Generalis. 67
B. Rodulphus. 68
Rodulphus Junior. ibid.
Romanus Merighius. 69
S. P. Romualdus. 71
Romualdus a Bergomo. 72
Samuel Clufeurinus. ibid.
Sebaftianus a Fabriano. 73
Secundus Piccolatus. ibid.
Seraphinus Fellecchia. ibid.
Severus Parella. ibid.
Silvanus Bofello. 74
Silvanus Razzi. ibid.
B. Simeon Reclufus. 76
Theophilus Machetti. ibid.
Thomas Minius. ibid.
Timotheus Naufrefcus. 77
Timotheus e Biblena. ibid.
Ventura Minardus. 78
Vitalis Aquæductus. ibid.
Vitalis Zuccolus. ibid.

CONSPECTUS
BIBLIOTHECÆ
PATRUM CAMALDULENSIUM
SEU

RERUM AD HISTORIAM, DISCIPLINAM,
ATQUE ASCESIN SAC. ORD. CAMALDULENSIS

ATTINENTIUM SCRIPTORES LATINI NOTÆ MELIORIS,

Nunc primum ex Codicibus, qua MSS., qua impressis collecti,
Tomis VI. comprehensi atque conjunctim in lucem editi

Opera ac Studio

P. MAGNOALDI ZIEGELBAUR

ORDINIS S. BENEDICTI SOCIETATIS LITERARIÆ
Incognitorum in Terris Austriacis Secretarii.

QUibus Viris doctissimis superiore sæculo curæ & cordi fuit, ut Vitas Patrum in Eremo, eorumque, ut vocant, Verba, seu Sententias, nec non si quæ Scripta reliquerunt Ascetica, studiosissime primum colligerent, tum attentis recognoscerent oculis, ac deinde multos post labores atque vigilias publicum in conspectum ac lucem conjunctim emitterent; ne illi operam suam in re admodum præclara omnium sapientum judicio collocarunt. Ea enim ratione factum, ut & Historiæ Ecclesiasticæ, cujus non postremam partem veterum illorum Patrum Acta continent, multum lucis affunderetur, atque ab eorum exemplis & scitis peracres quibusque Christianis stimuli & calcaria cum ad officia pietatis capessenda, tum ad mores sancte componendos adderentur. Quare ut primum illa Collectio, auctore V. C. *Heriberto Rosvveydo*, in publico comparuit, difficile dictu, quanto quamque mirifice bonorum omnium applausu & congratulatione fuerit excepta.

Jam vero si S. P. Romualdus, teste Eminentissimo Cardinale Baronio (an. 947. n. 2.) Eremiticæ vitæ in Occidente præclpuus fuit instaurator, atque alter velut *Joannes Baptista ex eremo lucerna ardens & lucens claras Ægypti Nitrias atque Thebaidas Anachoretis fertiles transtulit in Italiam, inter quos ipse ut alter Antonius forma factus idonea ejusmodi vita arduum institutum arripientibus*; sique ejusdem discipuli & alumni sancta conversatione, perfecta sui ipsius abnegatione, vira denique angelica potius quam humana Pachomii Tabernam Macarii Scetem, Ammonia Nitriam in Europæ regnis ac provinciis repræstiterunt, an non nos ipsos ignaviæ, ac socordiæ condemnamus, si eorum sancte gesta & scripta, quibus multum illustrata est ecclesia, diutius in obscuro latere, tenebris premi, atque a plerisque ignorari patiamur? cum illa non minus ad historiam ecclesiasticam, cujus quoque non ignobilis pars sunt, elucidandam conducant, quam hæc ad christianam pietatem nutriendam mire sint idonea & accomodata. Quis enim justitiæ cultum ac virtutum studia adeo erat exosus, ut cum S. P. Romualdi, ejusque discipulorum sanctam cooversationem probe cognitam haberet (nec enim potuit civitas abscondi supra montem posita Math. 5.) pristinæ suæ vitæ abblandiretur, & non statim illos æmulandi sanctis arderet desideriis, rerum humanarum satietate caperetur, atque adeo earum contemptum meditaretur, quo minore impedimento & expeditior in virtutis incumberet studium? Equidem hinc factum esse putamus, quod vitam alii monasticam alii eremiticam sectantes, ipso S. Romualdo inter vivos adhuc agente, supra modum multiplicati fuerint, haud paucioribus, atque centum Eremis & Monasteriis erectis. Neque exemplo vitæ tantum, ac bonorum operum meritis, sed verbo etiam doctrinæ, scriptisque in lucem datis ecclesiam ædificarunt, & ornarunt. An non ipse S. P. Romualdus hac in re alumnis suis exemplum prævivit, jam in Pannoniam, ut verbi divini sementem faceret, iter instituendo, jam in calamum, ut Davidis exponeret Psalmos, incumbendo? Etsi vero non ita multi extiterint, qui ejus exemplo vel sacrum prædicarint Evangelium, vel libros conscripserint, quæ ascetica tamen literis consignarunt documenta, magni sunt æstimanda, quod succi plena sint spiritualis doctrinæ. Cum ergo & exemplorum, & scriptorum, quæ posteritati reliquerunt, tanta sit dignitas & splendor, non putamus, quempiam fore, nisi plane agrestem, ignarum, ac vera destitutum prudentia, qui nos in reprehensionem vocet, quod Patrum Camaldulensium literaria monumenta in unum redigere corpus, atque pubblico conjunctim exhibere studeamus. Quod studium & laborem nostrum vel eo etiam nomine bono consulendum speramus, quod, cum Patrum Camaldulensium Scripta sint pleraque hinc inde sparsa, nec minus rara, infrequentia, atque adeo quædam fugitiva, nulli parcamus operæ, quo dispalata congregemus, rara perquiramus, atque fugitiva, seque oculis subducentia quasi ex fuga in publicum reducamus conspectum. Quæ vero in Manuscriptis latent, quod a situ, squalore atque interitu a nobis vindicentur, & cum Orbe Christiano communicentur, non minus gratum & acceptum fore confidimus. Neque obvii tamen cujusvis argumenti libros, Operaque comportare nostri consilii atque instituti est, sed ea solum, quæ vel Ordinis Camaldulensis historiam enarrant, vel ejusdem Disciplinam Monastico-Eremiticam exponunt, vel ascetica complectuntur documenta, congregare, animo decretum habemus. Quia vero plura sunt, quam quæ uno contineri possint volumine, ea Tomis VI. sumus comprehensuri. Nulla tamen, nisi Latina Opera; vel quæ ex Italico (cujus perpauci sunt in Germania Pannonia, & Polonia Camaldulenses periti) in Latinum con-

conversa sunt sermonem, nostra hac in collectione locum sortientur. Nec omnibus tamen iis etiam, qui Latine scripserunt, locum promiscue concedemus, sed qui ,; delectu habito, præstantioris esse commatis & melioris videbuntur notæ. Quod illam vero inscribamus *Bibliothecam Patrum Camaldulensium*, non novo, neque ante hunc diem inusitato facimus exemplo, sed a laudatissimis repetito Scriptoribus. Quis enim *Martini Marrier Bibliothecam Cluniacensem ignorat*? quem fugit *Joannis a Bosco Bibliotheca Cluniacensis*? vel cui *Bertrandi Tissier Bibliotheca Patrum Cisterciensium* non lecta, vel certe quidem conspecta, aut audita fuit? quarum quævis non aliorum collectio est Operum, quam quæ in hac nostra continentur, nempe quæ ad *Historiam*, *Disciplinam*, & *Ascesin* Sacrorum Ordinem sub Regula S. Benedicti militantium attinere dignoscuntur. Quod si vero quis est, cui nomen *Patrum Camaldulensium*, ceu nimis invidiosum nec a Monachis atque Eremitis usurpandum displiceat, illi verbis Divi Augustini Collatione Carthaginensi tertia, capite CCX. respondemus: *Honorificentia causa Patres appellamus, eos, qui nos vel tempore, vel meritis præcesserunt. Aliud est, cum quærimus ad fidem, quem habeamus Patrem. Nam illud honoris est, ut quotidie senibus dicamus, pater*.

Posteaquam vero generali, ut ita loquar, præfatione, titulum hujus conspectus succincte explanatum dedimus, sequitur, ut quæ Opera quoque Tomo contineantur, eadem declaremus brevitate.

I. Tomo igitur I. Historia Ordinis Camaldulensis duas in partes distincta, libris autem octo comprehensa primo loco comparet. Pars I. inscribitur:

HISTORIARUM CAMALDULENSIUM LIBRI TRES. *Ubi aliarum quoque* RELIGIONUM, MILITIARUMQUE *vera inserta est suis locis* ORIGO: *in fine vero* AMBROSII *Generalis*, *& interpretis Græci eximii habetur* VITA, *in qua de adventu Eugenii IV. Papæ Pisas*, *& Florentiam; de Concilio Basilea*, *& Florentino: de renatis literarum studiis: de facta reparatione deperditorum antiquitatis Voluminum Cosmi Medicis senioris opera describuntur multa*, *quæ hactenus in lucem non prodierant*. Augustino Florentino Monacho Camaldulensi Auctore.

HISTORIARUM CAMALDULENSIUM PARS POSTERIOR. *Ubi ab origine Templi, atque Cœnobii Classis*, *& Sanctissimi Patris Romualdi conversione*, *describuntur reliquorum Monasteriorum exordia*, *& incrementa: Privilegia*, *& Monachi sanctitate*, *dignitate*, *vel doctrina præstantes*. *Item habetur Vita Beati Petri Damiani Cardinalis Ostiensis*, *cum multis aliis*, *quæ antiquitatem illustrant & ostendunt*. Augustino Monacho Angelorum Florentiæ Auctore.

TOMUS II.

Ambrosii Camald. complectitur Epistolas, *in quibus historia Ordinis*.

Quod *Epistolas* cum *Hodæporico* AMBROSII Ordinis Camaldulensis Præpositi Generalis, altero Bibliothecæ nostræ Tomo Lectori exhibeamus præcipua est causa, quod utrumque Opus ita sit scriptum, ut quandam quasi ejusdem Sacri Ordinis historiam complectatur. *Omnes*, inquit celeberrimus Mabillonius, *Ambrosii Camaldulensis Epistolæ libris XVIII. digestæ sunt optimæ*. *Historiam sui temporis continent*. *In his Ordinis Camaldulensis historia*. Quod ipsum de Hodæporico dicendum venit, in quo reddita administrationis suæ ratione, historiam visitationis ac reformationis complurium sui Ordinis monasteriorum quam diserte, tam candide ac sincere texit. Magna siquidem erat dignitas, magnusque per tria quatuor sæcula Camaldulensis Familiæ splendor, quo non parum collustrata est Ecclesia; postea vero, ut in rebus fit humanis, labefactata quandam passa est ecclipsim; ac tenebris cœpit involvi, quas AMBROSIUS in epistola II. libri V. ad universos Prælatos & Monachos Ordinis Camaldulensis scripta non amaris absque lacrymis deplorat. In prima vero ad *Eugenium* IV. P. M. epistola, *Cogor*, inquit, *ex officio meo*, *quæ sunt religioni nostræ*, *quam mihi regendam tua Sanctitas credidit*, *utilia & necessaria postulare a sanctitate tua*, *non modo in spiritualibus*, *in quibus egentissimam offendi*; *verum & in temporalibus*, *quibus afflictam non minus ac desolatam inveni*. Neque tamen ea propter quis animum facile inducat, ut omnem religionis Camaldulensis splendorem ac fervorem penitus fuisse extinctum credat; nam si AMBROSIO Ordinis sui caliginem ac tenebras deploranti credimus, par omnino est, ut ipsi etiam fidem habeamus, cum in epistola ex persona Conventus S. Mariæ de Angelis scripta ad generale Capitulum ait: *Nulla post beatissimum Petrum ac legiferum nostrum Benedictum antiquior institutio*,

tio, quam nostra est, in qua nunquam, juvante ac propitio Domino, religionis fervor obtorpuit, aut omnino extinctus est. Sed fuerunt semper, hodieque supersunt Concilia religiosis moribus atque observantiis dedita. Quod primus apud Camaldulenses fervor elanguerit, humanæ fuit infirmitatis, quod non omnino extinctus, divino in acceptis referri debet præsidio. Ea nempe est humanæ naturæ inconstantia, eaque ad malum proclivitas, ut nulla fere sit Religiosa Domus, Familia, & Congregatio, quæ progressu temporis non multa sibi indulgeat, chordam disciplinæ regularis non remittat, quaspiam præstitutæ Regulæ leges liberiori pede non prætereat, atque demum pristini sui fervoris ornamenta non amittat, ab iisdem non deficiat ac dilabatur. Neque enim invenitur rosa, quæ rubendo non impallescat, nec gemma, quæ fulgendo splendorem non amittat, nec horologium, cujus pondus elevatione non indigeat. Quæ res cum AMBROSIUS, in Præfecturæ generalis constitutus specula advertisset, pro suo in vitam Monastico-Eremiticam studio miris sanctioris restituendæ disciplinæ desideriis cœpit exæstuare. *Cupio*, inquit in Epistola ad Cosmum Mediceum scripta, (*a*) *cupio, mi domine illustris, quantum ille donare dignabitur, qui me vocavit per gratiam suam, in dispensatione permissa mihi strenue & utiliter desudare, collapsam ferme religionem nostram in antiquæ observantiæ, si sperare fas sit, faciem revocare. Magni quidem hoc animi est, magnarumque virium, sed Deus adjutor est.* Hujus confisus adjutorio, nullam non movit machinam, ut qui cum in monasteriis, tum in eremis licentiori ac liberiori vitæ assueverant, eos ad meliorem reduceret frugem. Scripsit absens epistolas, habuit sermones, instituit itinera, iis unice intentus, quorum adjumentis antiquæ disciplinæ restitueret observantiam. At enim quis unquam ullo in Ordine religioso unum unicum reformandum suscepit monasterium, quin non sexcentæ ipsi datæ fuerint pugnæ? Quod idem in redintegranda Ordinis sui disciplina expertus est Ambrosius. Adeo indocilioribus quibusdam cum Monachis tum Eremitis erat exosus, ut nomen ipsius nisi cum stomacho audire non possent. *Parcat illis Deus*, scribit ep. III. lib. 6. ad Augustinum, *immo illorum cordis aperire dignetur oculos, ut videant quam deformes ac tetri sint, suamque tandem exhorreant fœditatem, & resipiscant ab errore. Ferimus ista magno cum dolore nostro, dum ab his, quos diligimus, hanc nobis amoris vicem restitui cernimus, & eos ipsos flere compellimur, qui per præcipitia gradiuntur erroris.* (*b*) Quas querimonias cum in aliis multis epistolis, tum in illa, quam ad Hieronymum fratrem suum germanum scripsit, justo percitus dolore ingeminat.

Cum vero ipsos Eremitas Sacræ Eremi Camaldulensis officii sui admoneret, ut strictiori observantia silentium & solitudinem consectarentur, adeo iniquo id animo tulerunt, ut importunum censorem non ab oculis modo amovere, sed supremum etiam magistratum ei abrogare annisi fuerint. Intelligimus hoc ex epistola XVII. lib. 18. ad Philippum scripta, in qua: *Volui*, inquit, *Eremum nostram, quæ religionis mihi creditæ principalis locus est, quantum fuit in me, componere, & ita ornare moribus religiosis, atque institutis eremiticis, non quidem a me inventis, sed a patribus traditis. Arcere conatus sum discursus nostrorum varios, & cætera efficere, quæ solitariæ vitæ sunt propria. Nunquam fateor, Philippe, minus instituti spiritualis, & religiosæ gravitatis offendi. Locus iste solitarius sæcularium turmis frequens effectus, amiserat solitudinis faciem: importunorum rusticorum multitudinem inde amovere, cura fuit mihi, qui locum inquietabant. Ægre tulerunt pios conatus nostros, & qui carnales nimium dominari se solitos meminerunt, quoniam plerique ex his, qui fuerunt ante me loci ipsius duces, nequaquam illic remorari soliti, omnem illis permiserant administrationis curam, confusioque ingens erat, subjectionis jugum ferre nequiverunt. Atque ut effrenes equi præcipites feruntur in perniciem suam, totiusque religiosi instituti perversionem. Mora ibi nostra offendit illos vehementer; & egerunt & agunt instanter omnia, ut abrogemur. Non est in ore nostrorum veritas, criminaque falsissima, & invenire, & in nos intorquere non formidant, intenderunt arcum suum, ut sagitent nos, immo apertis in nos odiorum telis irruunt, nomenque nostrum audire non possunt.*

Cum vero tanta, tamque indigna pro sui Ordinis reformatione pateretur, mirum non est, quod reformandi alterius religiosi instituti curam a se amoliri tentaverit. Jussus siquidem fuerat ab Eugenio IV. disciplinam in Ordine Vallumbro-

(*a*) Lib. 8. ep. 18. p. 604.

(*b*) Lib. 9. ep. 15.

brosano prope intermortuam excitare; quæ provincia onus Ætna gravius cum ipsi videretur, ad Pontificem Maximum scribere non dubitavit: *Injungitur ecce nobis Vallisumbrosani munus Ordinis, quasi jam plane post promotionem meam Ordo noster in antiquam redierit formam. Et quidem, beatissime pater, sententia tua fuit, cum me præfectum navi vetusta & gubernaculo destitutæ quererer familiariter apud te, eam non modo vetustam esse, sed putrem. Qua ergo ratione alteri religioni reformandæ inter ipsa statim auspicia nostra debuerim præferri non video: cum in ipsa religione nostra plus longe quam vires nostræ sufficiant, impositum mihi oneris videatur.*

Quemadmodum vero Summus Pontifex opera Ambrosii in religiosis familiis ad sanctiorem disciplinam reducendis uti voluit, ita his vicissim eundem ad Ecclesiæ reformationem gravissimis hortatus est verbis: *Tempus est, ut judicium incipiat a domo Domini, pater beatissime, ut in te uno maxime eniteat hujusce restitutionis studium.* A quo Pontifice ad Imperatorem Sigismundum, & universale Concilium missus quanta pro ecclesia cum Basileæ tum Florentiæ egerit, non est, ut hic multis explicemus, cum ea ipse suis in epistolis, alii vero in vita ipsius luculenter declarent.

Aliæ Epistolæ ab *Ambrosio* ad viros scriptæ literatos, & ab his ad *Ambrosium* datæ, historiam eorum temporum literariam continent; quo etiam spectant Præfationes, seu epistolæ, ut vocant, dedicatoriæ, quibus cum libros proprio marte elaboratos, tum aliorum Opera e Græco plerumque in Latinum, a se conversa Viris qua generis prosapia, qua doctrinarum præstantia spectatissimis nuncupavit. Quæ igitur AMBROSII CAMALDULENSIS Opera secundo hoc Tomo continentur, potissimum sunt hæc:

Epistolarum Libri XX.

Epistolæ quædam Virorum Illustrium ad Ambrosium scriptæ.

Ejusdem Præfationes in Opera Latinitate a se donata.

Hodoeporicon, seu *Libri II. de Administratione sua*.

II. APOLOGIA pro *Historiarum Camaldulensium Libris*. Cum *Lucas Hispanus*, Eremita Camaldulensis *Augustinum Florentinum* critico notasset ungue, quod Camaldulensis Ordinis institutionem cum Eremi Camaldulensis ædificatione confudisset, atque utriusque eadem incunabula & initia fuisse scripsisset, ille non omnino tacendum sibi putavit, sed adversus eundem Lucam, quanquam post 17. primum annos *Apologiam* in lucem dedit, qua opinionem suam majoribus rationum momentis fulcire annititur. Impressa fuit Apologia anno 1592.

III. Quæ concertatio nostra ætate iterata *Guidonem Grandum*, Monachum Camaldulensem longe doctissimum cum *Augustino Florentino*, dudum vita functo, commisit. Neque tamen is cum larvis pugnavit, sed quatuor minime ineruditas juris publici fecit

DISSERTATIONES CAMALDULENSES

In quibus agitur.

I. *De Institutione Ordinis Camaldulensis*.

II. *De ætate S. P. Romualdi*.

III. *De Visione Scalæ ejusdem, & Visione habitus prætensa*.

IV. *De S. Petri Damiani & Avellanitarum Instituto Camaldulensi*.

In prima Dissertatione *Guido* cum *Augustino* de Origine ac Institutione ipsa Ordinis Camaldulensis disceptat, atque contra ipsum defendit, S. P. Romualdum non Camalduli in Hetruria circa annum primum 1008. aut 1012. ob admirabilem Scalæ visionem, per quam Monachi albescentes ascendere videbantur, Ordinem suum excitasse, sed ejus fundamenta jam circa annum 960. aut circa annum 974. in Aquitania posuisse.

In Dissertatione secunda *Grandus* Ætatem S. P. Romualdi ex chronologiæ Camaldulensis initiis perantiquis, sed satis etiam, ut ipse non diffitetur, involutis, & obscuris, aliisque monumentis eruere laborat. Singularis & propria est ipsius hypothesis, qua nativitatem S. Romualdi ad ann. 917. conversionem ad ann. 937. & mortem ad annum 1037. reducit. Sed cum in eadem hac Dissertatione S. Petri Urseoli, Ducis Venetiarum, qui primus S. Romualdi fuit discipulus, conversionem ad annum 961. retulisset, contra vulgarem & receptam Venetorum sententiam, juxta quam ea facta fuit anno 978. nactus est adversarium virum perquam eruditum, rerumque patriæ suæ studiosum, Apostolum Zeno, Poetam & Historicum Sac. Cæs. Majestatis, Reginæ Hungariæ, &c. Is cum ferendum non existimaret, a *Grando* commutationem septendecim annorum in chronologiam Historiæ Venetæ inve-

vectam fuisse, edidit tacito suo nomine Dissertationem circa tempus Principatus & Monachatus *S. Petri Ursioli* I. hujus nominis Reipublicæ Venetæ Ducis. Qua occasione etiam in novum annorum calculum ætatis S. Romualdi a *Guidone Grando* constitutum inquisivit, eoque everso veterem restituit, quo S. Romualdus anno 907. natus, anno 927. Monachus esse factus, anno 1027. diem obiisse supremum dicitur. Hanc Anonymi Veneti Dissertationem, Italice scriptam, a nobis autem in Latinum conversam sermonem non omittendam censemus, quæ magnæ tamen *Guidonis Grandi* doctrinæ ac eruditioni nulli erit præjudicio, ut enim Quintilianus persapienter monet: *Legentes non sibi persuadeant, omnia quæ magni autores dixerunt, esse perfecta. Nam & labuntur aliquando & oneri cedunt.*

Nec tertiæ Dissertationi, tametsi eruditissimæ, suus defuit Criticus; contra hanc enim *Philippus Maria Machiarelli*, Eremita Camaldulensis e Congregatione Montis Coronæ Apologiam vulgavit pro visione Scalæ a S. Romualdo habita. Cujus argumenta breviter repetiit in vita ejusdem S. Patris Italice scripta, quæ nos in Latinum translata Lectori, cujus sint valoris ac roboris expendenda relinquimus, ut secum ipse statuat uter eorum nucleos, uter putamina vendiderit. Illud solum monemus, quod illa tantum visio Scalæ a Guidone Grando in dubium vocetur, quæ S. Romualdo in Eremo Camaldulensi obvenisse fertur, quæque & Ordinis institutioni facem prætulisse, & habitus mutationi ansam præbuisse ab Augustino Florentino, aliisque supponitur. At Scalam a S. Romualdo alibi locorum, sive in Aquitania, sive apud Sitriam conspectam non inficiatur.

Quod circa *Dissertationem* IV. moneamus, non occurrit, nisi quod ante eam cum tribus prioribus conjunctim editam, jam typis vulgati fuerint *Dialogi inter Sejanum & Rufinum* festive scripti contra Jacobum Laderchium Congregationis Oratorii Romani Presbyterum, quibus probatur, S. Petrum Damiani & cœteros Fontis Avellani Eremitas Ordini Camaldulensi merito accenseri. Quare nec hos *Dialogos* prætermittendos, sed post dictam Dissertationem IV. subjungendos existimamus. Scripti vero sunt hi *Dialogi*, & *Dissertationes*, in quibus obiter etiam multa Ecclesiasticæ & Prophanæ Historiæ loca illustrantur & corriguntur, a *Guidone Grando* sæpius laudato, Cremonensi, Monacho Camaldulensi, S. T. D. Regiæ celsitudinis Cosmi III. Magni Ducis Etruriæ Theologo & Mathematico.

IV. *Vita S. P. Romualdi, Auctore B. Petro Damiani.*

Visitatio Reliquiarum S. Romualdi ex Italico Silvani Razzi Abbatis Ord. Camald.

Miracula 100. *a Francisco Hispano, Eremita Camald. literis consignata cum Processu de iis instituto.*

Translatio Æsium ac Fabrianum ex Italico Silvani Razzi.

Translatio Brachii S. Romualdi.

De Festo S. Romualdi Constitutio Clementis VIII.

Cum priores duo, recentioris ævi, Scriptores *Augustinus Fortunius*, & *Guido de Grandis*, in diversa sint sententia circa tempus & locum, quo Camaldulensis Ordo fuit institutus, non abs re facturi nobis videmur, si utriusque Scriptis Vitam S. Patris Romualdi ab auctore coævo, ejusque fere discipulo subjungamus. In hac enim, ut ipsis Patribus Camaldulensibus in Capitulo Florentino sub Leone X. congregatis persuasum fuit, primordia Ordinis Camaldulensis continentur. Et vero ex ea non obscure intelligi datur, quo loco & tempore S. Romualdus Ordinis sui jecerit fundamenta, id quod ab eo factum est in Aquitanica eremo prope S. Michaelis Cusani Monasterium circa annum 979. Instituta vero, ex quorum præscripto eosdem vivere voluit, a capite VI. usque ad IX. inclusive satis prolixe describuntur. Non igitur a Camalduli ædificatione ejusdem Ordinis Institutio, sed sola pendet denominatio. Præterea ex eadem vita perspicuum habetur, S. Romualdum non unius solum peculiaris cœnobii, quod temere Jacobus Laderchius asseruit, extitisse Abbatem, sed proprii Ordinis fuisse Fundatorem. Prætermus plura alia, quæ in Notis ad Vitam observaturi sumus.

TOMUS III.

Exhibet Petri Delphini Epistolas, in quibus Historia Ordinis.

Duas, easque firmissimas Ordo Camaldulensis Sæculo XV. habuit columnas, quibus, ne præceps in ruinam procumberet, stetit innixus, suffultusque. Altera columna fuit AMBROSIUS, altera PETRUS, uterque Ordinis Præpositus Generalis, ingens columen, decus, atque or-

ornamentum. Prioris Epistolas Tomo II. complexi sumus; posterioris hoc Tomo III. exhibemus. AMBROSIUS Ordinis reformationem auspicatus fuerat, sed morte præoccupatus non omnino ad fastigium perduxit. Ut enim morbi, qui universum pene corpus insidet, major quandoque pertinacia est, quam ut brevi tempore ex omnibus ejusdem venis atque visceribus illum exigas, ita multo difficilius curatione tam celeri monasteria, quæ uti numero non erant pauca, ita inveterata licentioris vitæ consuetudine quamdam quasi societatem inierant, ad pristinam revocari sanitatem poterant. Successit in Opus Reformationis PETRUS DELPHINUS, insigni pro instauranda Ordinis disciplina zelo, animi fortitudine ac constantia præditus; quas præclaras dotes cum frequentes ejus Epistolæ, tum præsertim illa, quam adhuc Vicarius *Hieronymi* Generalis ex Monasterio S. Michaelis Muriani anno MCCCCLXXX. ad eumdem scripsit, abunde declarant.

Quemadmodum vero AMBROSIO Generali in restituenda sanctioris disciplinæ observantia ea perferenda erant, quæ ab hominibus strictioris vitæ rigorem pertæsis exspectari poterant, ita etiam DELPHINUS in exigenda atque e monasteriis propellenda laxiorum morum corruptela suas, easque graves passus est contradictiones. Restituerat, ut unum e multis afferamus exemplum, Florentiæ in Monasterio Angelorum veterem illam ac florentem monasticam disciplinam; sed id neutiquam factum fine gravibus pugnis, multiplicibusque certaminibus, quæ Monachi quidam obstinatiores, & in irreligioso vivendi genere obfirmati ferebant. Qua de re ad Petrum Barrotium Episcopum Paduanum in hæc scripsit verba: *Neque tamen cum de Florentia conqueror, cum illam mibi non flores, sed spinas & tribulos germinare assevero; de civibus ipsis, aliisque ejus incolis conqueror, a quibus profecto semper mibi longe magis, quam pro meritis honorifice delatum est. De aliquot nostri Ordinis æque hominibus doleo, de falsis fratribus, de rebellibus in religionem, qui Deum præ oculis non babentes, non dico severius, sed mansuetius ac mitius corripientem patrem contemnunt.*

Quæ DELPHINI verba cum a nobis referuntur, ea nemini scandalo vel offensioni esse volumus. *Sunt enim*, ut D. Augustinus in Psalm. 134. ait, *sunt & monachi falsi, & novimus tales; sed non perit fraternitas pia, propter eos qui profitentur, quod non sunt. Tam enim sunt monachi falsi, quam & clerici falsi, & fideles falsi. Quia ista tria genera fratres mei babent bonos suos, babent & malos suos. Tu igitur qui laudas, dic mixtos malos. Tu qui vituperas, vide ibi & bonos. Quantumcunque enim improba videatur societas, nibilominus ibi Deus complures electos babet.* (*a*) *Sicut ipse Deus testis est Heliæ se solum relictum querenti respondens: Reliqui, inquit, mibi septem millia virorum, qui non curvarunt genua sua ante Baal.* Quando igitur PETRUS DELPHINUS dissolutionem suorum vitam in epistolis suis deplorat, id de quibusdam tantum, minime vero de omnibus aut plerisque intelligi oportet. Vixisse enim omni ævo piissime ac religiosissime Camaldulenses cum Cœnobitas tum Eremitas exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei indubia literarum monumenta testantur.

Aliæ DELPHINI epistolæ non minimo numero ad Ordinis Camaldulensis pertinent negotia, in cujus procurandis commodis atque emolumentis plusquam strenuum, impigrum, & indefessum se exhibuit. Quæ tamen negotia ita curæ habuit, ut Ordinem suum non tam possessionibus, quam profectibus atque incrementis spiritualibus augeri cuperet, ut ipse in Epistola ad Urbanum Monachum testatur (*b*).

Iterum aliæ Epistolæ sunt, in quibus earum rerum texit historiam, quæ iis temporibus, quibus ipse vixit, in variis orbis regionibus, etiam a Turcis & Persis, præcipue vero in Italia ab adventu Gallorum sub Carolo VIII. gestæ fuerunt.

Præter historicas epistolas quædam ethicæ, morales, & asceticæ vitæ Monastico-Eremiticæ præcepta traduot, ad solitudinem, & quæ ejus anima est, silentium, laborem manuum, jejunium, & orationem, quibus quatuor capitibus Camaldulense vivendi genus continetur, verbis gravissimis adhortantur, & quanta in eorum observantia dignitas & utilitas, quanta in neglectu & transgressione turpitudo ac pernicies sit, commonefaciunt.

Cujuscunque vero sint argumenti hæ epistolæ, hominum tamen studia ad eas evolvendas excitare possunt, propter ejus,

a

(*a*) Idem in Ps. 99. 3. Reg. 19.

(*b*) Ep. 71. apud Marthene p. 1023.

a quo exaratæ fuerunt, summam prudentiam, doctrinam, virtutem, atque auctoritatem, de quibus in ejusdem vita, epistolis præmittenda, non tacebimus.

Quas autem PETRUS DELPHINUS epistolas in MSS. reliquit, non minus quam quater mille in sacra Eremo Camaldulensi asservantur. Ex his mille & ducentæ typis impressæ fuerunt an. 1574. Venetiis per Bernardinum Bennalium, quæ est editio rarissima & carissima. Aliæ ducentæ & quadraginta duæ cum literario Orbe communicatæ fuerunt ab Edmundo Marthene e Congr. S. Mauri Collect. Amplis. Tomo III. Nobis tot proferre in publicum est constitutum, quot ad Tomum III. qui cœteris magnitudine sua respondear, sufficere visum fuerit.

TOMO IV.

continentur,

Quæ ad Disciplinam Monastico-Eremiticam pertinent.

Quod anima humano est corpori, hoc disciplina Ordini cuique Religioso esse dignoscitur. Quamdiu anima corpus informat, tamdiu hoc movetur, spirat, actusque exercet vitales: ut primum vero ex corpore discessit, jacet hoc trunci instar immotum, deforme, suoque squallore omnium a se oculos avertit. Haud secus agitur cum religiosa quaque familia, congregatione, ac societate. Quanto tempore in ea regularis disciplinæ viget observantia, tanto ceu sedes virtutum ac pietatis speculum omnium oblectat oculos, mentes afficit, animosque sibi conciliat: ubi vero laxos diffluit in mores, in torporem, socordiam, atque alia dissolvitur vitia, nemini jam est amplius reverentiæ, atque existimationi, sed despectui potius atque abominationi. Quæ causa est, quod optimis quibusque Superioribus summæ semper curæ ac studio fuerit, ut sartam tectam in cœnobiis ac Eremitoriis conservarent disciplinam, quam ut ne aliquando collaberetur, certis legibus ac constitutionibus deviciendam existimarunt.

Sacra Familia Camaldulensis condita fuit sub Regula S. Benedicti, nullis vero a Fundatore suo S. Romualdo peculiaribus adstricta legibus ac statutis. S. Romualdus, inquit B. Paulus Justinianus in procemio Regulæ Eremiticæ, *Regulas & Institutiones Eremiticæ vivendi, non scriptis, sed suo vivendi exemplo, suisque documentis & admonitionibus, coætaneis suis tradidit, & posteris omnibus dereliquit, Christum fortasse Dominum imitatus, qui quod ipse faciendo ac docendo instituit, non scriptis tradidit, sed aliis post se scribenda reliquit.* Fuerunt tamen Priores Sacræ Eremi Camaldulensis, Rodulphus, Placidus, Martinus, Gherardus, & Bonaventura, qui a Divi Patris Romualdi ad Superos excessu disciplinam regularem certis quibusdam Constitutionibus firmiorem reddere conniterentur. Cum vero hæ pridem fuerint antiquatæ, eas postremo hujus Bibliothecæ Tomo reservamus; hoc vero præsenti illas, quæ hodie in usu, vigore, ac observantia sunt, afferemus. Præcedet vero

I. *Regula S. P. Benedicti* cum brevi Commentario, seu Annotationibus in eamdem *Silvani Razzi*, Abbatis Camaldulensis, non minori virtute, quam doctrina præditi, quem ex Italico in Latinum convertimus sermonem.

Regulam Benedictinam excipiunt privatæ cujusque Congregationis Constitutiones, quibus forma regiminis continetur. Tres siquidem vigent in Italia Camaldulensium Patrum Congregationes; Sacræ Eremi, Veneta, & Montis Coronæ, in quibus Angeli, non homines, conversari videntur, inquit Edmundus Marthene præfat. in Tom. VI. Collect. amplis. §. 1. num. 13. pag. 111.

II. *Eremitarum Camaldulensis Congregationis*, quæ sex sub se in Hetruria habet Eremitoria, *Constitutiones*, quas B. *Paulus Justinianus*, dum esset adhuc ejusdem Congregationis Eremita, jussu Superiorum condidit. Sunt Opus præcellens, magni semper æstimatum, ac communiter REGULA EREMITICA vocantur. His Constitutionibus Latine scriptis, ab Abbate autem Silvano Razzio in patrium idioma translatis, accesserunt *Annotationes* ejusdem Razzii in certa quædam Capita, quæ nos Latio donata subjiciemus.

III. Aliæ Constitutiones Sacræ Eremi Hetruriæ a Clemente X. speciali forma approbatæ, atque anno 1671. Florentiæ typis mandatæ.

IV. Hisce Constitutionibus in illorum gratiam, qui earum lectione minus afficiuntur, commodum subjungi potest 1. Descriptio Eremi Camaldulensis, Auctore Andrea Munnozio, Hispano. 2. Brevis Notitia de Monasterio Fontis Boni ex Italico Philippi Macchiarelli Camaldulensis Eremitæ. 3. Protectio ac Defensio Superna Sacræ

cræ Eremi Camaldulensis, ex Italico ejusdem Eremitæ. 4. Magna Veneratio, in qua semper habita fuit Sacra Eremus Camaldulensis, ex Italico ejusdem Auctoris.

V. Altera Ordinis Camaldulensis Congregatio est Monachorum, quæ primum ex novem locis, tum septendecim Monasteriis, ad quæ postmodum alia Ordinis se aggregarunt, in Statu Veneto coaluit, suasque etiam peculiares habet *Constitutiones*, quæ anno 1569. conscriptæ, Venetiis anno 1649. sub hac epigraphe excusæ fuerunt: *Declarationes & Constitutiones Patrum Ordinis Camaldulensis in Regulam Divi Patris Benedicti*. Observantur hæ Constitutiones in Cœnobiis Monachorum Camaldulensium, quæ per ditionem Veneram complura sunt, & in quibus semper & hodie perdocti degunt Monachi.

VI. Tertia Congregatio est Montis Coronæ a B. Paulo Justiniano fundatæ. Ejus *Romualdina*, seu Eremitica Montis Coronæ Camaldulensis Historia, Auctore Luca Hispano, Eremita Camaldulensi anno 1587. typis Eremi Ruensis in agro Patavino vulgata præmittetur.

VII. Et quia celebris hæc Congregatio suas etiam habet Eremos in Germania, Hungaria, & Polonia, de iisdem in gratiam Lectoris historicæ tradentur Notitiæ, Post has sequentur.

VIII. *Constitutiones Congregationis Montis Coronæ* a Clemente IX. speciali forma approbatæ, Romæ vero typis excusæ anno 1670.

IX. Præter has tres In Italia Congregationes etiam est Gallicana, ex qua prodiit formis æneis descripta Parisiis anno 1675. *Forma vivendi Camaldulensium*, eorum scilicet, qui sunt ex Congregatione Gallicana & fors etiam Taurinensi. Congregatio Taurinensis, quæ nonnullas in Sabaudia religiosissimas Eremos amplectitur, Auctorem habuit Ven. Dei famulum D. Alexandrum e Marchionibus Ceva Eremitam S. Camaldulensis Eremi Etruriæ. Peculiares suas edidit Constitutiones ad calcem Constitutionum Eremitarum Camaldulensium, anno 1724. Taurini typis Petri Josephi Zappatæ in 8. quas ex italico in latinum sermonem transtulimus, ac Deo dante hic etiam dabimus. In Ordine enim Camaldulensi (ut bene advertit Guido de Grandis Dissertat. Camaldul. IV. cap. 7. num. 5. pag. 93.) sunt alii Cœnobitarum, alii Eremitarum Sacræ Eremi Etruriæ, alii Congregationis Montis Coronæ; alii denique Taurinensium, alii Gallorum Eremitarum vivendi mores, tametsi eundem omnes communem Patrem Romualdum, suæque conversationis magistrum agnoscant, eodemque Camaldulensium cognomine glorientur. Hanc igitur *Formam vivendi Camaldulensium* paucis in Germania visam, nedum lectam, hoc Tomo recudendam curabimus.

X. Postremo brevis dabitur Notitia de Sanctimonialibus Camaldulensibus, & Virginibus Solitariis, earum instituto, & disciplina.

TOMUS V.

Opuscula comprehendit Ascetica, Vitæ & Instituto PP. Camaldulensium congruentia.

Cum Patres & Alumni Camaldulensis Familiæ alii sint Cœnobitæ, alii Eremitæ, iterumque alii Reclusi, nemo non intelligit, illa præ cæteris Opuscula in hanc Bibliothecam a nobis congerenda esse, quæ eorum Instituto Monastico-Eremitico præcipue congruunt, atque conveniunt. Id genus Opuscula nobis B. Petrus Damianus præcipuus Camaldulensis Ascescos & Disciplinæ Monastico-Eremiticæ Magister complura suppeditat. Alia enim inter ejus Scripta extant, quæ ad Cœnobitas, alia quæ ad Eremitas, & rursus alia quæ ad Reclusos conscripsit.

Sic Opusculo XIII. quod est *de Perfectione Monachorum*, instruit Cœnobitas, ubi & de diversis Monasterii Officiis disputat.

Eremitas instituit Opusculis XIV. & XV. omnes jejuniorum, aliarumque districtionum regulas aperte disponens. Inscribitur vero Opusculum XIV. hoc titulo: *De Ordine Eremitarum, & Facultatibus Fontis Avellani*. Opuscull XV. epigraphe est: *De suæ Congregationis institutis*. Quod Opusculum B. Paulus Justinianus tanti fecit, ut suæ *Regulæ Eremiticæ* ex S. Romualdi tradirionibus, & Antecessorum omnium, Rodulphi, Placidi, Gherardi, Martini, & Bonaventuræ Scriptis, Constitutionibus, vel per manus traductis consuetudinibus collectæ copularit, a quo majorem & lucem & firmitatem acciperet.

Reclusos dirigit, tum lib. 6. epist. 30. quæ est ad Theuzonem, variis eorum exemplis adductis, ut Martini Storacis, qui jam *per tria lustra non prodiit*, Lupi, *qui se pro æterna libertate* propriæ Cellæ *Carceri* inclusit, Leonis & aliorum; tum Opusculo XI. quod appellatur *Dominus vobis-*

biscum, docens solitarios in Divinis Officiis & Sacris Mysteriis celebrandis, formulas ab Ecclesia usurpatas, *Dominus vobiscum*, *Jube Domne benedicere &c.*: licet alios supponere videantur, immutare non posse: quod Opusculum *Leoni amore supernæ libertatis incluso* inscribitur; ut Opusculum XV. *Stephano amore supernæ claritatis incluso* nuncupatur, quem ex eo laudat, quia *Monasterialem latitudinem fugiens, mox fervido spiritu Cellulæ se carceralibus angustiis incluisset*.

His adjungi meretur Opusculum X. *De Horis Canonicis*. Nec omittendum nobis visum est Opusculum LI. *De laude Eremiticæ Vitæ*. Collegimus etiam, quæ sparsim tradit Documenta *de Jejunio Feriæ IV.* quod magna semper religione & austeritate apud Patres Camaldulenses colitur.

Alter Asceseos magister est B. Paulus Justinianus, de quo dicere liceat; quod S. Paulinus de Divo Augustino effatus est: *O vere sol terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur &c.*: Ejus Opuscula huic Tomo inserenda sunt. 1. *Tractatus de Obedientia*, quo præclarior a nullo alio Auctore conscriptus fuit. 2. *Epistolæ* (verius libellus) ad Marcum Antonium Flaminium missæ: ubi vera hominis felicitas, seu beatitudo quæ sit, fusius perinde ac diserte demonstratur. 3. Tractatus de officio Pontificis ad Leonem X. 4. *Tractatus de decem gradibus amoris Dei* perutilis, atque elegantissimus, 5. *Tractatus de Pœnitentia*. 6. Tractatus *de Contemplatione* ex variis Auctoribus recollectus. 7. *Tractatus de Eucharistia*.

Supersunt in Eremo Ruenii complura alia MS. cum patrio, tum Latino sermone chartæ mandata. E quibus Latina melioris notæ (neque enim omnia ad perfectionem adducta supremam acceperunt manum) cum cura, studio, & judicio seligenda sunt. Speramus vero futurum, Religiosissimos Ruenses Eremitas, pro sua in Beat. Paulum Justinianum Congregationis Montis Coronæ Fundatorem ac Patrem pietate, eorum copiam non modo nobis facturos, sed collatis quasi dextris & officiis prælo paraturos, quo eidem ad gloriam Sacri Ordinis, honorem B. Fundatoris, & Familiæ Camaldulensis alumnorum utilitatem hoc Tomo V. subjici possint. Quæ enim utilitas thesaurus invisus, & quod emolumentum, si tam eximia Opuscula cum blattis & tineis perpetuum luctentur?

Continebit ergo hic Tomus V. *BB. Petri Damiani* & *Pauli Justiniani* Ascetica Opuscula, quæ ad vitæ spiritualis profectum, & Camaldulensium cum Monachorum tum Eremitarum qua apertorum, qua reclusorum Instituta, formam vivendi, regulasque pertinent, ita ut iis dicere liceat: *Petrus & Paulus nos docuerunt legem tuam Domine*.

TOMUS VI.

Complectitur Miscellanea.

Cum plura sint Patrum Camaldulensium Opera, quam quæ commodum prioribus V. Tomis comprehendi potuerint, ea, si non omnia, certe potiora, in hunc Tomum VI. comportare nos non pigeat; quem vero Miscellanea continentem in Sectiones tres partiemur. Sectio I. complectetur *Historica*. Sectio II. quæ ad *Disciplinam* pertinent, comprehendet. Sectio III. *Ascetica* exhibebit.

SECTIO I.

1. *Vita Didactica S. P. Romualdi*, auctore V. Hieronymo Pragensi, Eremita Camald.

2. *Bernardini Gadoli* Abbatis Camald. Opusculum de Origine & Successu Ordinis Camaldulensis ad Jacobum Philippum Bergomatem.

3. Rodulphi, Prioris Camald. Tractatus de Inventione Corporis S. Apollinaris Ep. & Mart. Sacri Ordinis Camald. Patroni.

4. *Translatio* Corporis S. Apollinaris ex Descriptione Pauli Orlandini.

5. Venerabilis Peregrini Eremitæ Camald. Visiones.

6. Bullarium Camaldulense, seu Codex probationum.

SECTIO II.

Vetus Disciplina Eremitica, seu

1. S. Rodulphi Camaldulensis Prioris IV. *Constitutiones duplices*, primæ an. 1080. secundæ an. 1085. editæ.

Posteriores continent mitius vivendi genus.

2. Placidi I. a S. P. Romualdo Prioris XIII. *Constitutiones*.

Fuit Generalis Prior ordine VIII.

3. Martini II. Generalis Prioris IX. *Consuetudines* tribus comprehensæ libris.

4.

4. Gherardi II. ex Monacho Classensi Prioris XX. Constitutiones.

5. Bonaventuræ de Fano, Prioris Generalis XXVII. *Liber Constitutionum*, quem anno 1323. prioribus superaddidit.

SECTIO III.

Ascetica.

1. Vener. Hieronymi Pragensis, Eremitæ Camald. Sermones Dominicales; de Sanctis, & de S. Quadragesima.

2. Ven. Justiniani Bergomensis Liber I. sive Dialogus de vera & falsa amicitia. Alter de hujus sæculi Contemptu. Tertius de Oratione.

3. Pauli Orlandini, Vicarii Generalis Congreg. Camald. Sermones XXXII. quos habuit in solatium quotidianum, coram Monachis suis ubique locorum. Lib. I.

4. Bernardini Gadoli, Eremitæ Camald. Tractatus de modo servando pro fugiendo sæculo, & Religione amplectenda. Item Liber I. contra Superbiam & ambitionem.

FINIS.



